MASTER NEGATIVE NO. 92-80628-10

AUTHOR:

BALLAS, EMIL

TITLE:

GRAMMATICA PLAUTINA; SPECIMEN PRIMUM...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1884

Master Negative #

92-80628-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Ballas, Emil,
Grammatica Plavtina; specimen primvm de particvlis copvlativis, scripsit Aemilivs Ballas. Editio altera. Berolini, Mayer, 1884.
50 p. 20 cm.


24169

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9.7.93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

GRAMMATICA PLAVTINA.

SPECIMEN PRIMVM

DE PARTICVLIS COPVLATIVIS

SCRIPSIT

AEMILIVS BALLAS.

EDITIO ALTERA.

Berolini.
Mayer & Mueller.
MDCCCLXXXIV.

PROOEMIVM.

Quicumque fabulas plautinas legerit, quantum ex his antiquissimis literarum romanarum monumentis ad linguam latinam recte cognoscendam erui possit facile intellexerit. Quare, cum amplius anno Plauto operam nauassem, in leges quas poeta in particulis adhibendis secutus esset, quam acuratissime inquirere institui. Has enim exiguas uoculas in enuntiatorum compositione maximi momenti esse inter omnes constat et recte eas Tursellinus comparauit cum *,mollibus ossium commissuris, neruis ceterisque, quibus artus omnes apti connexique inter sese'* continerentur. *,Quippe sine his coniunctionibus et quasi uinculis non secus atque humanum corpus sine neruis dissoluta minimeque inter se apta et cohaerens languet oratio'*. — Nemo uero dubitabit quin ad totam particularum copiam quae paene est infinita complectendam earumque usum perspiciendum unius hominis uires uix sufficiant, quin plures hoc negotium suscipiant et alii aliorum scriptorum usum inuestigent necesse sit. Atque exstant eiusmodi quaestiones uelut Fleckeiseni de usu plautino affirmatiuae particulae *,ne'* [in Schneidewini philologo uol. II. pag. 73 sqq.] K. W. Muelleri de usu parti-

cularum *,siue uel'* apud comicos [in Iahnii annal. 1861 pag. 262—271] Ph. Spittae de usu tacitino particularum copulatiuarum et aduersatiuarum [in dissertatione *,de Taciti in componendis enuntiat s ratione'* conscripta].

In his uero quae secuntur explicabo quomodo Plautus particulas copulatiuas adhibuerit, ita quidem ut in prima parte usum particularum et que atque exponam, in altera de correlatione, de polysyndetis, de asyndetis plautinis disseram*).

Ac propositum mihi erat una cum his particulas tractare quibus poeta in disiunctione et in adiungendis sententiis negatiuis usus est. Cum uero intellexissem ad hoc parum spatii mihi concessum esse, hanc partem quaestionum in praesens omisi. Spero fore cum inceptum peragere mihi liceat.

---

*) Ne totam quam amplissimo philosophorum ordini tradideram dissertationem publici iuris facerem, nimii sumptus me impedinerunt. Quare consensu amplissimi philosophorum ordinis solam partem primam typis exprimendam curaui.

Pars prima.

De particulis copulatiuis.

Coniunguntur in lingua latina notiones et enuntiata particulis *et que atque*, quas ita inter se differre grammatici docent, ut *et* coniungat simpliciter, *que* adiungat accessione, *atque* iniungat aequatione*). De his definitionibus rectissime iudicat Spitta l. c. pag. 39: *,ad inuestigandum singulorum scriptorum usum explicationes illae subtilissimae parum conferunt, quia ex maxima parte suas quisque leges scribendi hac in re secutus est'*. Id uerum esse etiam e Plauto colligi potest, qui particulis suam cuique prouinciam assignauit, persaepe tamen promiscue eas adhibuit. Quo luculentius appareat, quatenus uniuscuiusque fines pateant, seorsim eas tractabo.

Caput I.

De particula et.

§. 1. Latini cum pronomen reciprocum quod graeco ἀλλήλοις responderet non haberent, mutuam rationem non raro praepositione *,inter'* cum pronomine personali coniuncta expresserunt. Ita Plautus quoque scripsit interdum, uelut *glor.* 1432**): *Nam postquam porta exierunt, nil cessarunt ilico Osculari atque amplexari inter se.*

---

*) Confer Handii Tursellinum II. pag. 467. Similiter Zumptius g. l. §. 333.

**) In uersibus indicandis numeros adscribam quibus usi sunt Fleckeisenus in Amphitruone asinaria captiuis Curculione rudente;

capt. 420: *uideas corde amare inter se.* Multo saepius alia ampliore structura usus est. Namque ut frequenter plures personas quas uno pronomine personali aut possessiuo complecti potuit suo quamque pronomine indicauit, [cf. *Curc* 729: *Quae res bene uortat mi et uobis. glor.* 738: *tua ex uirtute et mea. most.* 647. *Pers.* 329. *Pseud.* 232. *rud.* 564. *Stich* 696.*)] — ut haec pronomina seorsim posuit, sic ad mutuam rationem quae inter duas personas intercedit exprimendam duo membra fecit quorum subiectum et obiectum partes inter se commutant. — Coniuncta sunt saepissime per *et: Amph.* 799†**): *Me salutauisti et ego te. aul* 215: *Quoniam tu me et ego te qualis sis scio.* — 576, *Fides nouisti me et ego te. capt.* 136†: *Semper sensi filio Meo te esse amicum et illum intellexi tibi. trin* 957†. *Que* exstat *Men.* 1088: *Nam hominem hominis similiorem numquam uidi ego alterum. Neque aqua aquae neque lacte lactis crede mihi usquam similiust Quam hic tuist tuque huius autem. aul.* 233†: *Ut propter me tibi sit melius mihique propter te et tuos — atque: as.* 456†: *Erus istunc nouit atque erum hic. most.* 322: *Visne ego te ac tu me[d] amplectare?* Interdum posteriori membro ‚*contra*' additum est: *cist. I.* 3. 43: *Is amore proiecticiam illam deperit, Quae dudum flens hinc abiit ad matrem suam, Et illa hunc contra. glor.* 100: *Is amabat meretricem [altam] Athenis Atticis et illa illum contra. cist. II* 1. 97: *consuetudine Coepi amare contra ego illum et ille me :: O mea S.lenium :: Quid est.* — Ut uersum ad iustum numerum reduceret Bothius in editione, quam ‚*in usum elegantiorum hominum*' parauit, uerba ‚*et ille me*' deleri

---

Ritschelius in Bacchidibus glorioso Menaechmis mercatore mostellaria Pseudulo Sticho trinummo; Geppertus in Casina Epidico Poenulo truculento; Wagnerus in aulularia Cantabrigiae a. 1866 edita. Cistellariae uersus afferam secundum actuum et scaenarum discriptionem uulgatam.

*) In his particulam copulatiuam saepe duplicauit Plautus quo de loquar in altera parte.

**) Locis cruce notatis uerba per chiasmum composita sunt.

iussit, quia iam antea Silenium dixisset se ab Alcesimarcho amatam esse, priusquam ipsa amore capta fuisset. Huc accedit, quod ut modo uidimus ‚*contra*' semper secundo membro additum est. Quare a Bothii partibus stare non dubito. Verba autem ‚*et ille me*' glossema esse puto — ‚*Item*' legitur *aul.* 127: *Verum hoc frater unum tamen cogitato Sibi proxumum me mihique esse item te.* ‚*Itidem*' Fleckeisenus inseruit *asin.* 631: *Qui ego hanc amo et [itidem] haec me amat.* — Particula duplicata est *aul.* 129: *ita aequomst quod in rem esse utrique arbitremur et mihi te et tibi me consulere et monere**). Simile exemplum sequentes uersus exhibent. Hic ‚*pariter*' primo membro adiectum est: u. 133: *Neque occultum id haberi neque metu***) *mussari Quin participem pariter ego te et tu me ut facias.* — *Merc.* 536 sq. sic leguntur in B C D: ‚*Et inter nos coniurauimus ego cum illo et ille mecum Ego cum uiro et ille cum muliere nisi cum illo aut ille mecum Neuter stupri causa caput limaret.* Alter uersus deest in A, qui pro ‚*illo et*' ‚*illo aut*' exhibet in priore. Ritschelius eiectis glossematis ita uersum restituit: *Inter nos coniurauimus, nisi cum illo ego et ille mecum Neuter stupri causa caput limaret.* —

Praedicatum quod ad unum membrum positum uidimus duobus commune est *Pseud.* 233†: *Iam diu ego huic et mi hic bene uolumus et amicitiast antiqua****). Praedicatum repetitur copula omissa *Amph.* 655: *Quae me amat quam contra amo.* — *most.* 305. Denique huc referendum puto locum qui est *Poen* 330: *Sunt illi aliae quas spectare ego et me spectari uolo.*

Sic narrant personae inter se et alteram aut inter duas alias aliquid uicissim fieri. — In colloquiis id pro

---

*) ‚*Ut uequbmst*' B.

**) Sic Geppertus, libri ‚*per metum*' exhibent.

***) Sic Ritschelius. A ‚*ego huic bene et miht hic uolimus*', reliqui ‚*ego huic bene et hic miht uolumus*'.

se quisque profitetur. Ut in *Amphitruone* Alcumena dicit: *Me salutauisti et ego te*, sic inter se ipsi salutant ab altera parte Phanostrata Lampadio, ab altera Halisca *cist. IIII.* 2. 57: *Mi homo et mea mulier, uos saluto* :: *Et nos te. rud.* 1055: *Iterum te saluto* :: *Et ego te.* Cum his cohaerent *Cas* 81: *Nunc ego [huc] ibam ad te* :: *Et pol ego istuc ad te.* *) *glor.* 1138. 1267. *Pers.* 234.

§. 2. Quaerendum est num poeta ,*et*' unquam pro ,*etiam*' usus sit. Et persaepe particulae copulatiuae banc significationem attribuit, semper tamen ita, ut in initio enuntiati posita simul uim suam primitiuam retineret nostroque ,*und auch*' responderet. Huc spectat usus particulae ,*et*' e quo in mutua salutatione locum obtinet. En habes exempla: *glor.* 1315: *Philocomasium salue* :: *Et tu salue. Poen.* 1064: *Mi patrue salue* :: *Et tu salue Agorastocles. rud.* 416. *Stich* 316. *trin* 48. Deest in responsione uocula ,*salue*' *capt.* 1009: *Salue Tyndare* :: *Et tu. Cas.* 437: *Salue Cleostrata* :: *Et tu Alcesime. Bacch.* 1106. *Poen.* 1028. *Stich.* 90. *truc.* 125. Eodem modo uale dicitur *Bacch.* 605: *Vale dentifrangibule* :: *Et tu integumentum uale. glor.* 1352: *Iam uale* :: *Et tu bene uale* — 1361. *Poen.* 1342. Respondetur uale dicenti uerbis ,*et tu*' ,*et uos*' *aul.* 178: *Vale* :: *Et tu frater. Pers.* 709: *Vale* :: *Et uos.* **) — Eodem spectant haec: *aul.* 780: *nunc quae res tibi et gnatae tuae Bene feliciterque uortat* ,*ita di faxint*' *inquito* :: *Ita di faciant* :: *Et mihi ita di faciant. glor* 433: *Certe equidem noster sum* :: *Et pol ego.* — 1196: *Abeo* :: *Et uos abite hinc intro actutum. Curc.* 686. Cum Therapontigonus et Phaedromus lenonem conspexerint, Therapontigonus dicit: *Heus leno te uolo*, Phaedromus: *Et ego te uolo.* Confer

---

*) ,*Nunc*' Geppertus; ,*nam*' codices.

**) Fortasse operae pretium erit, si locos ascribam, in quibus sola uoce ,*salue*' respondetur. *Bacch.* 536. 587. *Cas.* 78. *Curc.* 234. 305. 657. *glor.* 902. *Men.* 138. *merc.* 283. *Pers.* 739. *rud.* 262. 336. 1052. 1175. *Stich.* 585. *trin.* 1073. 1180. *truc.* 357. — *Vale* :: *Vale* legitur *Curc.* 516. *rud.* 324. *truc.* 432.

Men. 651. 1093. 1108. *Pers.* 217. 247. 250 cum Acidalio Ritschelius ,*et*' pro ,*at*' posuit: *Abi: Et ego abiero. Poen.* 1174. 1318. *Stich.* 757. *trin.* 442. *truc.* 946.

Interdum legitur ,*et* — *item*' ,*et* — *etiam*' ,*et* — *quoque*' ,*et* — *quoque etiam*'. *Et* — *item* exstat *Pers.* 223: *ualeas* :: *Asta* :: *At propero* :: *Et pol ego item. rud.* 1024. *trin* 1162. 1179. *et* — *etiam*: *Cas.* 260: *Atque ego censui abs te posse hoc impetrare. uxor mea, Casina ut uxor mihi daretur et nunc etiam censeo. et* — *quoque*: *asin.* 183: *Volt placere sese amicae, uolt mihi, uolt pedisequae, Volt famulis, uolt etiam ancillis et quoque catulo meo Subblanditur nouos amator* *). *Men.* 766: *Et illi quoque haut abstinent saepe culpa. Et* — *quoque etiam* legitur *Amph.* 717: *Tun heri hunc salutauisti?* :: *Et te quoque etiam, Sosia. Poen. prol.* 40.

Alia est quaestio, num apud Plautum ,*et*' pro ,*etiam*' positum exstet ita, ut uim copulatiuam plane amiserit. Ac Lachmannus quidem [ad Lucretium pag. 389] id negauit. ,*Neque*' ait ,*aut frequentior*' [quam apud Lucretium] ,*hic usus apud Plautum est aut usquam sine metri sententiaeue damno*'. Et profecto, si locos, in quibus ,*et*' particulae ,*etiam*' partibus fungitur, accuratius inspicimus, fieri non potest, quin Lachmanno assentiamur. Locos afferam. *Curc.* 688: *Ego obsecro te, et tu utrumque serua.* Hoc loco ut uerba ,*et tu*' deleantur metrum postulat. Et desunt in Fleckeiseni editione. Facillume autem fieri potuit, ut illa uerba in textum irreperent. Nam iisdem literis constant atque praecedens ,*te*' et initium sequentis ,*utrumque*', quae corruptela non raro inuenitur in codicibus. — *cist. IIII.* 2. 56: *Nunc ad te redeo si quid est opus dic impera et tu.* ,*Et*' prorsus ineptum esse iam Bothius uidit, qui ,*at tu*' scripsit atque haec uerba sequenti uersui continuauit. In

---

*) Sic libri. Fleckeisenus in priore uersu pro ,*uolt mihi*' scripsit ,*mihimet uolt*', in altero posuit ,*etiam*' post ,*quoque*'.

annotationibus ad h. l. uerba ,*et tu*' alteri personae ut respondenti tribuit. At uereor ne nodum in scirpo quaesiuerit. Equidem non dubito quin pro ,*impera et tu*' ,*imperato*' scripserit poeta. Eadem res est *most.* 568: *Saluere iubeo te, Misargyrides, bene* :: *Salue et tu.* Cum Lachmanno Ritschelius scripsit ,*salueto*'. Eiusdem fabulae *u.* 295 in libris ita legitur: *Mea Philematium, potare tecum conlubitumst mihi* :: *Lubet et edepol mihi tecum: nam quod tibi lubet, idem mihi lubet.* Ut uersum restituerent Lachmannus Ritschelius primum ,*lubet*' delerunt. *Stich.* 501: *Quaenet ipsa deciens in die mutat locum.* Quoniam ,*et*' hoc loco sensui repugnat, Lachmannus scripsit ,*Quaene ipsa*', Ritschelius *Quaene eapse*'. *Pers.* 476: *Set ut et ego hodie fui benignus, ut ego multis credidi.* Ita CD uersum exhibent, in B deest ,*et*'. *Poen.* 140 *sqq.*: *Adamans per amorem si quid feci, Milphio, Te ignoscere id mihi aequomst* :: *Haut uidi magis. Et ego nunc amore pereo: sine te uerberem.* Cum Lachmanno ,*et*' delendum censeo. *glor.* 1341: *Bene quaeso inter uos dicatis et me absenti tamen.* Lachmannus pro ,*et me absenti*' proposuit ,*hanc et me absentis*' Quae emendatio ideo probari non potest, quia bene dicendi uerbum apud inferioris demum aetatis scriptores cum accusandi casu coniunctum exstat [uide Forcellinum s. u.]. Alio fundamento nisus hunc uersum sanare conabor. Saepe apud Plautum particula ,*tamen*' addita est ei notioni, quae quamquam exstat tamen non impedit, quominus quod enuntiato continetur fiat. Velut *Amph.* 542: *Num quid uis?* :: *Ut quom absim me ames, me tuam absentem tamen. capt.* 404: *Beneque ero gessisse morem in tantis aerumnis tamen. Cas. prol* 20: *Set tamen absentis prosunt* [*hic*] *praesentibus. ibid* 63: *Sciens ei mater dat operam absenti tamen. Stich* 99. 679. In nullo horum locorum repperimus particulam uelut ,*etiam*' uel ,*et*'. Quare nescio an ita scribendum sit: ,*Bene quaeso inter uos dicatis mihimet absenti tamen* *rud. prol.* 6 *sq.*: *Noctu sum in caelo clarus atque inter deos. Inter mortales ambulo* [*hic*] *interdius. Et alia signa de*

*caelo ad terram accidunt**). Lachmannus ne ,*et*' positum esset pro ,*etiam*' scripsit: *Inter mortales ambulo* [*et ego*] *interdius. Et alia signa* etc. Adstipulatus est ei Fleckeisenus [in Iahnii annal. 1851 pag. 59]. At hoc loco ,*et*' optime reddi posse credo per ,*und auch*'. Confer *Curc.* 607: *Libera ego sum nata* :: *Et alii multi qui nunc seruiunt.*

Quae cum ita sint, cum ,*et*', si quidem pro *etiam* positum est apud Plautum, semper retineat uim copulatiuam, Gepperti coniecturae reiciendae sunt, qui pluries ,*et*' pro ,*etiam*' mediae orationi inseruit. Confer u. g. *Cas. prol* 20. Scripsit: *Set tamen absentes prosunt* [*et*] *praesentibus.* Ritschelius in parerg. pag. 182 not. ,*hic*' inseruit. *Cas.* 114: *Omnibus rebus credo ego amorem et ,nitidissimis' anteuenire* pro ,*nitoribus nitidis*' ita ut ,*et*' particulae ,*etiam*' [,*uel, adeo*'] locum obtineret. Certe ei scribendum erat pro ,*et*' ,*ac*', quod ut infra [cap. III. §. 2, b] uidebimus haut raro hac uice fungitur. *truc.* 535 sq.: *addit purpuram ex Sara tibi. Attuli tua sponte amoenas.* Geppertus hunc uersum finxit: *attuli et duas Ponto amoenas.*

§. 3. Copula saepe intercedit inter diuersa et contraria atque locum obtinet particularum aduersatiuarum. Ac primum in simplici oppositione duarum rerum pro ,*autem*' posita est**). Exempla haec sunt: *asin.* 909: *Ego pol uiuam et tu istaec hodie cum tuo magno malo inuocasti. aul.* 226: *Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem uenit Te bouem esse et me* [*esse*] *asellum.* — 365: *Si*[*n*] *autem deorsum comedent, si quid coxerint, Superi incenati sint et cenati inferi. capt.*

---

*) Ut hiatum tolleret ,*hic*' inseruit A. Spengel in libro quem ,*T. Maccius Plautus*' inscripsit pag. 237.

**) *Autem* legitur u. g. *Men.* 286: *Magnus amator mulierum es, Messenio, ego autem homo iracundus, animi perditi.* — 885: *Ait se obligasse crus fractum Aesculapio, Apollini autem brachium.*

249. 627. *cist. I.* 1. 52. *most.* 52. *Poen.* 720. 907. 1350. *Pseud.* 905. *rud.* 410. *trin.* 618.

Deinde in colloquiorum expositione per ‚*et*' transit oratio ad ea quae alter respondisse narratur. *Cas.* 379: *Ego iussi et dixit se facturam uxor mea.* — 497: *Ergo arcessiuisse ait sese et dixisse te Eam non missurum. cist. II.* 3. 30: *Quo illam dedisset quaesiuisse oportuit :: Quaesiui et dixit meretrici Melaenidi.*

Eundem locum particula in colloquiis ipsis obtinet, cum altera persona aliquid diuersi et contrarii contendat. *asin.* 171: *Dedi equidem quod mecum egisti :: Et tibi ego missi mulierem. Bacch.* 78: *Scio* [*ego*] *quid ago:: Et ego scio quid metuo. cist. II.* 1. 20: *Di me perdant :: Quodquomque optes tibi uelim contingere :: Si illam uxorem duxero mihi umquam quam despondit pater :: Et me si umquam tibi uxorem filiam dedero meam. Curc.* 674: *Spondesne miles mi hanc uxorem? :: Spondeo :: Et ego* [*a me*] *huic uictum spondeo.* Sic Fleckeisenus scripsit. Iam Acidalius uiderat, quod libri exhibent, ineptum esse. In manuscr. Curculio haec uerba dicit: *Et ego hoc idem unum spondeo.* Acidalius Phaedromo tribuit ‚*et ego huic cibum una spondeo*', scribens: ‚*ut respexerit ad superiorem cibi perpetui flagitationem Curculionis*'. — 658: *Deos uolo bene uortere Istam rem uobis :: Et ego nobis omnibus. Epid.* 193. *most.* 527. *Poen.* 1336 *trin.* 563.*)

Per ‚*et*' adiungitur negatiuae sententiae uel notioni affirmatiua, ut copula pro ‚*sed*' posita sit. *Amph.* 759: *Tun te abiisse hodie hinc negas? :: Nego enim uero et me aduenire nunc primum aio ad te domum. most.* 1024: *Profecto non negabo debere et dabo. rud.* 923:

*) Hic magis in usu est ‚*ut*'. Confer *Curc.* 686: *Heus leno, te uolo :: Et ego te uolo :: At ego uos nolo ambos. rud.* 963: *Vidulum istum quoius est noui ego hominem iam pridem :: Quid est? :: Et quo pacto periit :: At ego quo pacto inuentust scio. Poen.* 1206: *Gaudio ero uobis :: At edepol nos uoluptati tibi.*

Nam qui dormiunt lubenter sine lucro et cum damno quiescunt.

Affirmatiuam sententiam sequitur negatiua *Pers.* 752: *Nam improbust homo qui beneficium scit accipere et reddere nescit.* Praeter B libri pro ‚*accipere*' habent ‚*sumere*', quod seruare uoluit Reizius pro ‚*et*' ‚*sed*' scribens.

Sic etiam duae affirmatiuae sententiae coniungi possunt inter quas ratio concessiua intercedit. Tum ‚*et*' per ‚*et tamen*' reddi potest. *Bacch.* 1195: *Lubet et metuo. Curc.* 386: *Edepol ne ego hic med intus expleui probe Et quidem reliqui in uentre cellae uni locum, Ubi reliquiarum reliquias reconderem.* — 479: *Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam Et qui ipsi sat habent quod in se possit uere dicier. Pers.* 798: *At bona liberta haec sciuisti et me celauisti?* ‚*Et*' Camerarius scripsit pro ‚*eu*', quod libri praebent. *rud.* 861: *Quine arrabonem a me accepisti ob mulierem Et eam auexti?* *)

Carptim poeta duos imperatiuos coniunxit, quorum altero quid omitti, fieri quid altero iubetur. *Cas.* 103: *Tace sis stulta et mi ausculta. rud.* 1108: *Abstine male dictis et mi quod rogaui dilue. Stich* 330. *trin.* 650.

§. 4. Transeamus ad sententias et notiones per ‚*et*' compositas, quarum priori generali altera addit certiorem explicationem. Primum in notiones, deinde in enuntiata inquiramus.

Haut raro Plautus aduerbio ‚*bene*' alterum addit aduerbium, quod ex eadem generali notione exemtum illud certioribus finibus circumscribat. *Cas.* 713: *Acceptae bene et commode eximus intus. Curc.* 518: *Bene ego istanc eduxi meae domi et pudice. Men.* 980. *truc.* 131. *Poen.* 580.

*) ‚*Et tamen*' legitur *glor.* 756: *Quod eorum causa obsonatumst, culpant et comedunt tamen. Poen.* 868. 879: *Male credam et credam tamen.*

Romanos adiectiua quae numerum indicant cum aliis adiectiuis copula coniungere solere inter omnes constat. Comicus rarius hanc legem secutus est, saepius copulam omisit*). ‚*Et*‘ exstat *capt.* 159: ***Multis et multigeneribus opus est tibi militibus.*** *Pseud.* 556: ***Clamore multo et magno flagitabere.*** Per ‚*et*‘ adiectiuo ‚*multa*‘ aduerbium adiectum est *asin.* 567: ***Verum edepol etiam tua quoque malefacta iterari multa et uero possunt*****).

Substantiua coniuncta leguntur, quorum prius posteriore accuratius definitur: *Amph.* 129: ***Nunc quom esse credent, seruom et conseruom suom. Haut quisquam qui sim quaeret aut quid uenerim.*** *Stich.* 651: ***Set amica mea et conserua quid agat Stephanium, Curast ut uideam*** ***).

Enuntiatorum exempla haec sunt: *Amph.* 304: ***Formido male ne nomen meum conmutem et Quinctus fiam e Sosia.*** *aul.* 708: ***obsecro uos ego, mi auxilio, Oro, obtestor, sitis et hominem demonstretis, qui eam abstulerit.*** Auxilium quod Euclio a spectatoribus petit positum est in inuestigatione hominis qui aulam auri refertam surripuerit. *Bacch.* 465: ***Caue malum et compesce in illum dicere iniuste.***

Enuntiato per ‚*et*‘ adicitur aduerbium *capt.* 971: ***nam multa eueniunt, et merito meo.*** *Epid.* 137: ***huic homini opust quadraginta minis Celeriter calidis, danistae quas resoluat, et cito.***

Per ‚*et sane*‘ particulam interpretari possumus *Cas.* 123: ***Ubiquomque est lepidum unguentum, ungor, Ut illi placeam: et placeo, ut uideor.*** Saepius addita est particula asseueratiua, uelut *quidem, profecto, certo.* *glor.* 473: ***set numquam quisquam faciet quin soror***

---

*) Copula omissa est u. g. *glor.* 698: ***horum similia alia damna multa mulierum.*** *Bacch.* 628: ***Multa mala mihi in pectore acria atque acerba nunc eueniunt.*** *trin.* 88: ***Malis te ut uerbis multis multum obiurigem.***

**) Vide Handii Tursellinum. uol. II. pag. 476.

***) Sic Ritschelius. Libri ‚*ut ualeat*‘.

Ista sit germana huius :: Eam pol tu osculantem hic uideras Et quidem palamst eam esse ut dicis. Pro ‚*quid est*‘, quae uerba libri Simoni tribuunt, Ritschelius cum Acidalio scripsit. *Pseud.* 529: ***Ea circumducam lepide lenonem: et quidem Effectum hoc hodie reddam utrumque ad uesperum.*** *asin.* 244: ***Et profecto, nisi perdo argentum, pereundumst mihi.*** *Bacch.* 739. *Poen.* 1298.*)

‚***Et quidem***‘ locum obtinet in responsione, qua quod alter dixit non modo conceditur, sed magis etiam affirmatur. *Bacch* 220: ***Nam iam huc conueniet miles :: Et miles quidem.*** — Recte inseruit ‚*et*‘ Ritschelius *ib.* 200: ***Eho. An inuenisti Bacchidem? :: [Et] Samiam quidem.***

In colloquiis interdum breui responsioni per ‚*et*‘ additur sententia, qua illa accuratius explicetur. — In initio actus IIII *asinariae* parasitus Diabulo militi legit quod hic cum lena contrahere uult de Philenio amica. Diabulus uerbis ‚***Philenium ut secum esset noctis et dies Hunc annum totum***‘ adicit ‚***Neque cum quiquam alio quidem***‘ Ad haec parasitus: ‚***Addone***‘? et ille ‚***adde***‘ inquit ‚***et scribas uide plane et probe***‘. *aul.* 724: ***Ego sum [miser] :: Immo ego sum et misere perditus.*** *Bacch.* 561: ***Missine ego ad te ex Epheso epistulam Super amicam ut mi inuenires? :: Fateor factum et repperi.*** *Epid.* 685: ***Dedin tibi minas triginta ob filiam? :: Fateor datas Et eo argento illam me emisse amicam fili fidicinam Pro tua filia.*** — 700: ***Ain tu te illius inuenisse filiam? :: Inueni et domist.*** — ‚***Et quidem***‘ legitur *Poen.* 571.

§. 5. Per ‚*et*‘ coniunguntur duae sententiae, quarum posterior in posterius tempus incidit quam prior et quae tam arte inter se cohaerent ut aut posterior e priore consequatur aut caussa sit qua quod priore continetur fiat. Primum de hoc usu loquar.

---

*) Vide mus. rhenan. IIII. pag. 273.

Actores si quid extra scaenam se facturos esse simulant, spectatoribus id nuntiare solent uerbis ,*eo*' ,*ibo*' ,*eamus*', quibus per ,*et*' [,*que atque*'] addunt enuntiatum. Velut *Men.* 331 cum Menaechmus ad Erotium ire nolit coquus ,*ibo intro*' inquit ,*et dicam te hic adstare Erotio*'. Duae per se perfectae atque absolutae sententiae seorsim positae sunt, quae coniunctione finali ,*ut*' coniungi et possunt et alibi coniunguntur, *Amph.* 550: *Ibo et Mercurium subsequar. Men.* 557: *Ibo et conueniam seruom si potero meum.* — 700: *Ibo et consulam hanc rem amicos quid faciundum censeant. Stich.* 400: *Ibo intro et discam de dictis melioribus.* — 567. 682. *rud.* 1263 Pro ,*et*' Fleckeisenus *capt* 987 ,*ut*' scripsit: *Nunc ibo [in meam] praefecturam ut ius dicam larido Et quae pendent indemnatae pernae eis auxilium ut feram.* Fortasse pro ,*ut feram*' scribendum est ,*adferam*'.

Eadem formula actores utuntur ut aliquid in altera parte scaenae se facturos esse indicent. *Poen.* 730: *Ibo et pultabo ianuam. Stich.* 308: *Ibo et pultabo foris. Amph.* 1075: *Ibo et cognoscam.* B ,*cognosco*' habet. Fleckeisenus ,*et*' in ,*ut*' mutauit. — Alia eiusmodi exempla sunt: *Bacch.* 575: *Nunc me ire iussit ad eam et percontarier. glor.* 1185: *Huc uenito et matris uerbis Philocomasium accersito. rud.* 1189: *Quid meliust quam ut hinc abeam et me suspendam clanculum? Stich.* 293: *Ad me adiri et supplicari mi egomet aequom censeo. trin.* 736: *Post adeas tute Philtonem et dotem dare Te ei dicas.**)

---

*) Operae pretium fore spero, si locos afferam in quibus eundi notionem et quae ei sunt cognatae sequitur aut coniunctio ,*ut*' aut ,*infinitiuus*' aut *sententia* ,*dissolute*' *adiecta* aut ,*supinum*'. — *Ut* legitur *Amph.* 291. *aul.* 795. *Bacch.* 348. 1066. *Cas.* 407. 453. *Curc.* 365. *Epid.* 152. *glor.* 944. *Men.* 387. 954. *merc.* 388. 659. *Poen.* 192. 910. *Pseud.* 169. — *infinitiuus* est *asin.* 910. *Bacch.* 354. *Cas.* 730. *most.* 66. *Pseud.* 1163. *trin.* 1015. — *copula deest Amph.* 1007. 1048. *asin.* 740. 913. *aul.* 261. *Bacch.* 366. *capt.* 919. *Cas.* 318. *cist.* III. 3. 12. *Epid.* 311. 355. *glor.* 420. 1332. *Men.* 672. 845. *merc.* 366. 665. *most.* 931. 1074. *Poen.*

Fleckeisenus primus obseruauit [in Iahnii annal. uol. LXI. pag. 59], si imperatiuos ,*i*' ,*ite*' alter imperatiuus sequatur, Plautum eos dissolute componere solere. *asin.* 382: *i, puere, pulta. aul.* 760: *I, refer.* — 793: *I intro, exquire.* — 820: *I, redde aurum. Bacch.* 901: *i, uise estne ibi.* — 1059: *i, fer filio. capt.* 184: *i, modo uenare leporem.* — 950: *Ite, actutum Tyndarum huc arcessite. Epid.* 297. *Men.* 952. *merc.* 787. *Pers.* 487. 574. *Poen.* 417. 1104. 1308. *Pseud.* 349. *rud.* 657. 798. *Stich.* 150. 396. 683. *truc.* 198.*) — Non raro in libris ante imperatiuos legitur ,*et*', quo editores adducti sunt ut ,*i*' anteponerent. *glor.* 521: *Licetne :: Quin te iubeo: [i] et placide noscita.* Sic Ritschelius, qui tamen adnotauit ,*fortasse praestat i sine et*'. Hoc ,*et*' quod nihil aliud est quam antiqua forma imperatiui ,*ei*' reperitur etiam *glor.* 812. *Men.* 435. *Pseud.* 891. Imperatiuus ,*i*' cum altero imperatiuo per ,*et*' coniunctus legitur *Amph.* 971: *I sane et quantum potest parata fac sint omnia. truc.* 329: *i propere et suade iam ut satis lauerit.* Sic Goellerus uersum reconcinnauit. B habet ,*tui properet*'.

---

785. 919. *Pseud.* 1245. *Stich.* 202. *trin.* 727. 995. *truc.* 474. *Supinum* sequitur u. g. *Bacch.* 442. *capt.* 848. *Cas.* 71. 601. *glor.* 749. 1145. *Men.* 70. 368. *merc.* 857. 939. *most.* 317. 335. 878. *Pers.* 62. 318. *Poen.* 313. 503. 522. 1022. *Pseud.* 1283. *rud.* 111. 295. 382. 766. 898. *Stich.* 107. 503. 568. *trin.* 599. 611. 864. — Si uerbum uisendi sequitur numquam copula intercedit, sed aut alterum alteri subicitur coniunctione ,ut' [*aul.* 65. *Bacch.* 529.] aut poeta scripsit ,*ibo — uenio — uisere*' [*Bacch.* 900. *Cas.* 730. *Poen.* 1163. *rud.* 94.] aut *dissolute* composuit [*capt.* 126. *Pers.* 77.].

*) Errauit Fleckeisenus, si huc rettulit *Poen.* 360: *I soror. Abscede tu a me.* Hic enim imperatiui nullo nexu inter se cohaerent, sed secum ire iubet Adelphasium sororem, abscedere Agorastoclem. — Ut hanc totam quaestionem absoluam, liceat mihi locos afferre, in quibus ,*i*' cum altero imperatiuo per ,*atque*' coniunctum exstat: *Cas.* 483. *merc.* 277. *most.* 807. *truc.* 328. ,*Atque*' Fleckeisenus deleuit *capt.* 658: *Ite istinc, adferte lora.* Imperatiuum ,*i*' particula ,*que*' sequitur *most.* 1037: *I mecum semul :: Fiat :: Seruorumque operam et lora cedo.* Semel legitur ,*i ut*' *merc.* 689. *Ei hac mecum, ut uideas semul Tuam Alcumenam pellicem, Iuno mea.*

Compositorum imperatiuos saepius sequitur copula. Legitur enim *,abi et' asin.* 367. *Bacch.* 592. *Cas.* 317. 509. 598. *glor.* 255. 394. *Pers.* 165. *Pseud.* 890. *Stich.* 533. *)

Non modo uerbis eundi sed etiam aliis poeta adiecit enuntiata per particulam copulatiuam, ubi coniunctionem finalem exspectemus. *Amph.* 1128: *Ego Tiresiam coniectorem aduocabo et consulam Quid faciundum censeat* **). *aul.* 470: *Iam hunc non ausim praeterire quin consistam et conloquar.* — 753: *Iam quidem hercle te ad praetorem rapiam et tibi scribam dicam. Cas.* 238: *Coniciam sortes in sitellam et sortiar Tibi et Chalino. glor.* 1048: *Ab illa quae digitos despoliat suos et tuos digitos decorat. Men.* 735: *Pallam atque aurum [quom] meum Domo suppilas [clam] tuae uxori et tuae degeris amicae. Pseud.* 958: *Accipe et cognosce signum. Pers.* 696: *Eum ego ut requiram et redimam [dare operam] uolo. rud.* 721: *Extemplo hercle ego te follem pugillatorium Faciam et pendentem incursabo pugnis, periurissume.* — 769: *Nam hercle ego te continuo arripiam barba et in ignem coniciam Teque ambustulatum magnis obiciam auibus pabulum.* — 1210. *truc.* 603.

§. 6. Consequitur quod posteriore enuntiato uel notione continetur e priore ita ut copula idem ualere uideatur quod *,et ideo'* — *,et ita factum est ut'. Amph.* 715: *Set hoc me beat saltem, quoniam [ille] uicit Perduellis et domum laudis compos reuenit.* Laudis compotem nominat Alcumena Amphitruonem, quia hostis

---

*) *,Abi atque'* inuenies *Bacch.* 714. *Cas.* 191. 315. 387. *Epid.* 589. 639. *glor.* 1195. *Men.* 220. *most.* 294. *Poen.* 302. *Pseud.* 168. — *Copula deest Amph.* 353. 1125. *aul.* 89. *Cas.* 112. 126. *glor.* 463. 535. 864. 928. *Men.* 1017. *most.* 928. *Pers.* 147. *Poen.* 1390. *rud.* 855. — *,Exi atque'* legitur *glor.* 1338. *Pers.* 459. — *Copula omissa est Epid.* 644. *merc.* 909. — *,Adi atque'* exstat *Pers.* 600. *Poen.* 981. *,prodi atque' aul.* 348. *,redi atque' aul.* 81. *rud.* 858.

**) Confer *Stich.* 503: *Certumst amicos conuocare ut consulam Qua lege nunc med essurire oporteat.*

uicerit. — *aul.* 12: *cum labore magno et misere. Men.* 315: *Heu hercle homonem multum et odiosum mihi. most.* 381: *solida et perpetua. most.* 196: *Moneo ego te: te ille deseret aetate et satietate* i. e. si per longum tempus te usus erit amica, satietas nascetur, qua commotus te deseret. *Pseud.* 589: *Metum et fugam. truc.* 714: *Integrum et plenum adortust thensaurum.* — Passim notio quae ex altera consequitur primum locum obtinet: *aul.* 714: *Famem et pauperiem. rud.* 935: *Monumentum meae famae et factis.*

Iam enuntiata afferam: *asin.* 447: *audio et quiesco.* Leonidas et Libanus serui mercatorem argento fraudare student. Leonidas, qui atriensis partes suscepit, in Libanum uehementissume inuehitur mercatore praesente. Hic autem uerbis nimis iracundis afflictus abire uult. Iam ad Libani uerba *,Heus iam satis tu: Audin quae loquitur'*. Leonidas respondet: *audio et quiesco. aul.* 113: *Nam nunc quom celo sedulo omnes ne sciant, Omnes uidentur scire et me benignius salutant quam salutabant prius. Bacch.* 563 *sqq.*: *Quid tibi non meretricum aliarum erat Athenis copia, quibuscum haberes rem, nisi cum illa, quam ego mandassem tibi, Occuperes tute ipse amare et mi ires consultum male? Cas. prol.* 60: *Ille autem postquam filium sensit suom Eandem illam amare et esse impedimento sibi Hunc adulescentem peregre ablegauit pater.* — 593: *Verum obsecro . . . Gladium ut ponat et redire me intro nC liceat. cist. II.* 3. 17: *Ego te redduco et uoco ad diuitias. Poen.* 352: *Te morare et male facis.* — 1153: *Dehinc patrue si uis tuas uidere filias Me sequere :: Iam dudum equidem cupio et te sequor.* — 1332: *Iam pridem equidem sciui et miratus fui Neminem uenire qui istas adsereret manu.* — Eadem sententia iterum legitur in altero huius fabulae exitu, *u.* 1375. *trin.* 430: *Nam nunc eum uidi miserum et me eius miseritumst.*

Huc denique referendas puto formulas, quibus altera persona quod altera dixit aut fecit laudat et ob id se

laeto aut grato animo esse testatur. *Men.* 1092: *Hercle quin tu me admonuisti recte et habeo gratiam. merc.* 297: *Immo bis tanto ualeo quam ualui prius :: Bene hercle factum et gaudeo. most.* 1146. *asin.* 59: *Bene hercle facitis et a me initis gratiam.* Fleckeisenus ‚*et*' eiecto scripsit ‚*inibitis*'. Similiter Daemones probat quod ipse fecit *rud.* 892: *Bene factum et uolup est hodie me his mulierculis Tetulisse auxilium.*

§. 7. Pauca restant quae quamquam leuioris momenti memoratu digna uidentur.

Grammatici docent, si numeralia cardinalia monade et decade composita sint, praecedenti monadi decadem adici per ‚*et*', quod omittatur, si decadem sequatur monas. Si ad ‚milia' minores numeri accedant, hos sequi, praecedere illa. — Has leges interdum neglexit poeta. Legimus enim *Bacch.* 272: *Ducentos et mille.**) *rud.* 1329: *centum et mille. glor.* 629: *quinquaginta et quattuor. merc.* 673: *octoginta et quattuor. most.* 630: *quattuor quadraginta.*

Nota est iunctura nominum ‚*noctes*' ‚*dies*', quae si hoc ordine se excipiunt per ‚*et*', si inuerso per ‚*que*' fere semper apud Plautum coniuncta leguntur. ‚*Noctis et dies*' exstat *asin.* 753. *merc.* 46. *Stich.* 5. ‚*noctu et diu*' *Cas.* 687. ‚*Noctes diesque*' tamen inuenimus *Poen.* 225. *Amph.* 168 libri exhibent *noctisque diesque.* Fleckeisenus prius ‚*que*' deleuit. ‚*Dies noctisque*' inueni *asin.* 602. *most.* 22. 235. *rud.* 380., *trin.* 287. *truc.* 892. — ‚*Dies atque noctis*' legitur *Cas.* 216.

---

*) Hunc ordinem inuerterunt Bothius Ritschelius Fleckeisenus: seruari uoluit Bentleius ad Ter. adolph. III. 4. 44. ‚*ducentos mille*' scripsit Hermannus.

Caput II.

De particula que*).

§. 1. Particula ‚*que*' si sententias aut sententiarum partes componit, apud Plautum semper primo nomini sententiae quae adicitur adhaeret et ne tum quidem secundo adplicata est, cum primum locum obtinet praepositio. At non omnibus praepositionibus adiuncta est, sed solis his: ‚*circum*': *Epid.* 191: *Per myropolia et lanienas circumque argentarias.* — ‚*cum*': u. g. *truc.* 277: *Ita me amabit sarculum Ut egomet ruri a me amari mauelim patulam bouem Cumque ea noctem in stramentis pernoctare perpetem Quam tuas centies cenatas noctis mihi dono dari.* — ‚*per*': u. g. *glor.* 28: *Pol si quidem Conisus esses per corium per uiscera perque os elephanti transtineret brachium.* — ‚*pro*' uide *capt.* 541: *Quid istuc est quod meos te dicam fugitare oculos, Tyndare, Proque ignoto me aspernari, quasi me numquam noueris?* — ‚*sine*': *Bacch.* 929: *Non peius termento ruit praeut ego erum expugnabo meum Sine classe sineque exercitu.* — His adducor ut Brixii emendationem amplectar, qui *capt.* 386 pro ‚*id petam id persequarque*' scripsit ‚*id petam semper sequarque*'. Neque assentior Ritschelio, qui in *trin. u.* 821 restituendo Bothium secutus est. Libri cum exhiberent *Laetus lubens laudes ago et gratis gratiasque habeo et fluctibus salsis*, Bothius ut trochaicum octonarium efficeret, scripsit: *Laetus lubens laudes ago, gratas gratisque*

---

*) De origine ac primitiua ui huius particulae subtilis exstat inquisitio Schoemanni, quam publici iuris fecit in quattuor indicibus scholarum in uniu. lit. Gryphiswald. a. h. s. LXV—VII habitarum.

habeo et fluctibus salsis. Optime perspexit G. Studemund [de canticis plautinis pag. 56] totam scaenam anapaesticis et octonariis et septenariis constare. Quare cum Brixio, qui tamen uersum trochaicum esse uoluit, scribere malim: *Laetús lubens laúdes ágo et gratis gratás habeo ét fluctibus salsis.*

Si quod nomen in altero enuntiato aut enuntiati parte repetitum est ex priore, Plautus semper fere huic in initio posito adiunxit particulam ,*que*'. Ac potissimum in hunc usum cadunt pronomina relatiua et coniunctiones, quae litera *q* incipiunt [*quom quia quod quin quasi*] et particula ,*ita*' et praepositiones ,*cum*' ,*per*'. Aliquot exempla afferam. *Pseud.* 427: *Homines qui gestant quique auscultant crimina.* [*cf. Curc.* 480. *rud.* 13. 28. 128. 632. *Pseud.* 1086. *truc.* 514 *sq.*] *Poen* 1234: *Ei praedicabo quomodo uos furta facitis multa Quoque modo huiusce filias apud uos habetis seruas. truc.* 512: *Quom tu recte prouenisti quomque es aucta liberis.* [*capt.* 356. 922. *truc.* 383.] *truc.* 288: *Quia ad fores nostras unguentis uncta es ausa accedere Quiaque bucculas tam belle purpurissatas habes.* [*cist. I.* 2. 7.] *Cas.* 400: *Tribus non conduci possum libertatibus Quin ego illis hodie comparem magnum malum Quinque hanc omnem rem meae erae iam faciam palam. Epid.* 267: *Sic faciundum censeo Quasi tu cupias liberare fidicinam animi gratia Quasique ames uehementer tu illam.* [*glor.* 797. 909. 1170. *Pseud.* 635.] *Pers.* 781: *Ita me Toxilus perfabricauit itaque meam rem diuexauit.* [*Amph.* 15. 762. *capt.* 676. 877. *cist. II.* 1. 35. *truc.* 347. 522.] *asin.* 18: *Ita ted obtestor per senectutem perque illam quam tu metuis uxorem tuam.* [*capt.* 245. *glor.* 540. *Poen.* 410.] *Curc.* 1: *Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras Cum istoc ornatu cumque hac pompa, Phaedrome?* [*merc.* 793. *Pseud.* 866.]

Deinde si pronomen personale excipitur possessiuo eiusdem personae, huic adiungitur ,*que*'. Numquam fere inter haec pronomina aliud nomen intercedit. *capt.* 651; *Quid cessatis, compedes, Currere ad me meaque amplecti crura ut nos custodiam?* [*cf. capt.* 670. 702. 768. 898. *Bacch.* 413. 846. *Amph.* 317. 1089. *glor.* 219. *Men.* 987. *most.* 250. *Poen.* 1242. *Pseud.* 184. 1131. *Stich.* 126.] — Numquam poeta hanc particulam coniunctioni ,*ut*' uel ,*uti*' adiecit. Saepe autem ,*ut*' sequitur particulam ,*que*', quod idem in particulam ,*atque*' ualet. [cf. cap. III.] *)

Denique non praetermittendum uidetur, nusquam in fabulis plautinis particulam ,*que*' nomini adhaerere, quod in literam gutturalem exeat. Quare non recte emendauerunt qui *truc.* 525: ,*Id ita esse experta es, nunc experiere, mea Phronesium, Me te amare*' uerbo ,*nunc*' addiderunt particulam. Qua mihi quidem nihil opus esse uidetur. Nam uerbis ,*nunc experiere*' traducitur oratio militis ad amorem Phronesii. Qui qualis sit ut experiatur amica, dona luculentissima affert Stratophanes. Quare post ,*experta's*' interpunxerim. — Hactenus de collocatione.

Praeterea haec particula proprium locum sibi uindicat in quibusdam nominum iuncturis, quas infra explicabo. — Ceterum eodem munere fungitur quo particula ,*et*', nisi quod poeta ea numquam ita usus est, ut simul induerit notionem particulae ,*etiam*'. Perperam Bothius *asin.* 207 (= 191 editionis Halberstadiensis) *Tum mihi aedesque arridebant*, pro ,*aedes quoque*' scripsit, nullo, ne minimo quidem fundamento nisus.

§. 2. Transeamus ad usum explicandum, e quo particula ,*que*' posita uidetur pro particulis aduersatiuis. Et hic semper fere negatiuis enuntiatis adiungit affirmatiua. *Amph.* 573: *Verum hau mentior resque uti facta[st] dico. aul.* 10: *Numquam indicare id filio uoluit suo Inopemque optauit potius eum relinquere Quam eum thensaurum commonstraret. Cas.* 408: *Ego nunc uicissim ut alio pacto condiam Quoique id paratumst ut paratum ne siet Sitque ei paratum quoi paratum non*

---

*) ,*Que — ut*' legitur *Amph.* 225. 494. 573. 1042. *Bacch.* 762. 1097. *capt.* 305. *glor.* 412. *merc.* 170. *Poen.* 902. *Pseud.* 192. 930. *rud.* 698. *truc.* 203. 785. 983. *trin.* 40. 121.

*erat**). *cist. I.* 1. 50: *Nam si quidem ita eris ut uolo: non Hecala fies umquam***), *Semperque istanc quam nunc habes aetatulam obtinebis. glor.* 1072: *Quomque oratricem hau spreuisti sistique exorare ex te****). *Pseud.* 929. Semel duo contraria et affirmatiua per ‚*que*' composita sunt: *capt.* 271: *Proxumum quod sit bono quodque a malo longissume Id uolo.*

§. 3. Per hanc quoque particulam adiciuntur notiones et sententiae, quae explicent priores generales. — ‚*Bene*' cum aliis aduerbiis coniunctum exstat *Amph.* 349. *capt.* 991: *Bene pudiceque. Amph.* 463: *Bene prospereque. aul.* 780: *Bene feliciterque. glor.* 897: *Bene opportuneque. most.* 816: *Bene benigneque* †). *Pseud.* 459: *Bene confidenterque.*

Adiectiuo ‚*multa*' alterum adiectiuum per ‚*que*' additum est *Pseud.* 372: *multa malaque dicta.* Prius substantiuum certius definitur altero *Poen.* 1206: *Gaudio ero uobis :: At edepol nos uoluptati tibi :: Libertatique.*

Duo enuntiata componuntur particula ‚*que*', quorum posterius inseruit illustrando priori. *Bacch.* 156: *Pol metuo magis ne Phoenix tuis factis fuam Teque ad patrem esse mortuom renuntiem.* — 361: *Credo hercle aduenlens nomen mutabit mihi Facietque extemplo Crucisalum me ex Crusalo. Pseud.* 192: *Ut ciuitas nomen mihi commutet meque ut praedicet Lenone ex Ballione regem Iasionem. glor.* 136: *Atque [is] illi amanti suo hospiti morem gerit Nosque opera consilioque adhortatur iuuat.* — 1409: *Viduam [illam] esse censui: Itaque ancilla, conciliatrix quae erat, dicebat mihi.*

*) ‚*Vicissatim*' Geppertus, libri ‚*uicissim ut*'. — ‚*Quoique*' Weisius, Ba ‚*quod id quod*', Bb reliqui ‚*quo id quod*'.

**) ‚*Non Hecala fies umquam*' Bothius pro ‚*numquam H. f.*'

***) ‚*Quomque*' Bothius. B ‚*Qm me*' CD ‚*Cumque me*'. — ‚*hau*' Ritschelius. B ‚*hit*' CD ‚*hic*'.

†) ‚*Benigneque*' Camerarius, Ba ‚*benique*', Bb ‚*denique*'.

merc. 785: *sic me nuptam tam male Measque in aedis sic scorta obductarier. Stich.* 404. 411. *truc.* 202: *Celabat metuebatque te, ne tu sibi persuaderes Ut abortioni operam daret puerumque ut enecaret.* Optume Rostius [opusc. plaut. II. pag. 318.] uertit: ‚*sie barg's aus Furcht vor dir*', nam uerbo ‚*metuebat*' continetur causa, qua Phronesium se grauidam esse celauerit Dinarchum.

Ut per ‚*et*' sic per ‚*que*' responsioni adicitur sententia, illam explicandi causa. *Amph.* 799: *Ain heri nos aduenisse huc? :: Aio aduenlensque ilico Me salutauisti et ego te et ausculum tetuli tibi. trin.* 196: *Set quid ais? quid nunc uirgo? nempe aput test? :: Itast Iuxtaque eam curo cum mea.* — *Cas.* 507: *Quid nunc? missurun es ad me uxorem tuam? :: Ducas easque in maxumam malam crucem Cum hac [labe] cum istac cumque amica etiam tua. Pers.* 351: *Nam inimici famam non ita ut natast ferunt :: Ferant eantque in maxumam malam crucem.*

§. 4. In narratione per ‚*que*' componuntur quae continuata serie facta esse dicuntur. Atque hic particula adiungi solet pronomini demonstratiuo ‚*is, ea, id*'. *cist. II.* 3. 10: *Nam mihi ab hippodromo memini adferri paruolam Puellam eamque me mihi supponere. glor.* 111. *Stich.* 408. Saepius in eiusmodi iuncturis particulam ‚*que*' exhibent prologi. *capt.* 8: *Altrum quadrimum puerum seruos surpuit Eumque hinc profugiens uendidit in Alide [Domino] patri huiusce. Men.* 60. *Poen.* 75. [Confer 893.] Reliqua exempla inuenies *trin.* 815: *Ego sucophantam iam conduco de foro Epistulasque iam consignabo duas Eumque huc ad adulescentem meditatum probe Mittam. rud.* 454: *Set quid ego cesso fugere in fanum ac dicere haec Palaestrae, in aram uti confugiamus prius Quam scelus huc leno ueniat nosque hic opprimat?*

§. 5. Rarius haec particula inter duo enuntiata intercedit, quorum posterius priori subici potest coniunctione

finali. *Amph.* 1042: *Iam me ad regem recta ducam resque ut factast eloquar.* *capt.* 500: *ubi quisque uident* [*me hodie*] *Eunt obuiam gratulanturque eam rem.* — 651: *Quid cessatis, conpedes, Currere ad me meaque amplecti crura ut uos custodiam?* *Cas.* 203: *Si sors autem decollassit, gladium faciam culcitam Eunque incumbam.* *Men.* 1054: *Quom ego accurro teque eripio ui pugnando ingratiis*).* *rud.* 122. 398. 1322. *trin.* 793.

§. 6. Duae notiones sententiaeue per ,*que*' componuntur, quarum posterior consequitur e priore, *Men.* 571: *Ut hoc utimur maxume more moro molestoque multum.* *Stich.* 519: *Pax conmerciumquest uobis mecum.* *Amph.* 120: *Nam meus pater nunc intus eccum Iuppiter In Amphitruonis uortit sese imaginem Omnesque eum esse censent serui qui uident.* *Bacch.* 761: *Insanum magnum molior negotium Metuoque ut hodie possiem emolirier.* *Curc.* 79. *Pers.* 819. *Poen.* 1193. *aul.* 60. *Pseud.* 1017. *rud.* 1179. *trin.* 36.

§. 7. Proprio munere fungitur particula ,*que*' in nominibus coniungendis, quo de iam disseramus.

Pro una generali notione interdum usus est Plautus duobus nominibus per ,*que*' coniunctis, quae sibi contraria extremos fines indicant, quibus illa generalis notio continetur. *Amph.* 1: *in uostris mercimoniis Emundis uendundisque.* *asin.* 559: *domi duellique.* *capt. prol* 68: *Domi duellique.* *cist. II.* 1. 45: *Di omnes magni minutique.* *Pers.* 648: *Serui liberique.* *Pseud.* 771: *omnibus paruis magnisque ministeriis**).*

Eadem particula duas notiones contrarias coniungit, quae eodem tempore uni rei inhaerere dicuntur. *most.* 791: *Simul flare sorbereque haut factu facilest.* *Pseud.*

*) ,*Vi pugnando*' Camerarius B ,*uel in p*'.

**) ,*Ministeriis*' pro ,*miseriis*' Ritschelius scripsit cum Acidalio.

63: *Dulce amarumque*) una nunc misces mihi.* *trin.* 234: *Ut . . . iudex sim reusque ad eam rem.* — 1066: *Quia boni malique in ea re pars tibist.*

Passim poeta ut aliquam rem latissime patere significaret, eiusdem nominis masculinum et femininum coniunxit. *glor.* 1340: *Conserui conseruaeque omnes bene ualete et uiuite.* *trin.* 78: *Quia omnis bonos bonasque adcurare addecet Suspicionem et culpam ut ab se segregent.* — Huc spectat formula ,*di deaeque*', qua Romani utebantur in deorum inuocationibus. Atque in fabulis plautinis haec uerba saepissime leguntur non modo si actores diis gratias agunt aut per eos iurant, sed etiam alibi. *Epid.* 386: *Di deaeque te adiuuant.* *Pers.* 666: *Di deaeque te agitant irati, scelus, Qui hanc non properes destinare.* *Poen.* 452: *Ego faxo posthac di deaeque ceteri Contentiores mage erunt atque auidi minus.* — ,*Deos deasque*' precatur Hanno *Poen.* 940. Gratias agit idem 1263. Haec est formula asseuerantis *cist. II.* 1. 35: *At ita me di deaeque superi atque inferi et medioxumi . . . glor.* 501. 725. *most.* 192. *Pers.* 292. — Bene dicentis haec uerba sunt *capt.* 171: *Hoc illum me mutare confido fore :: Ita di deaeque faxint.* *Poen.* 658. 849. *Pseud.* 271. — Saepissime haec formula exstat in exsecrationibus [cf. P. Lange in museo rhenano XII p. 436 sqq.]. *aul.* 778: *Ut illum di immortales omnes deaeque quantumst perduint.* *Cas.* 176. *Curc.* 719. *merc* 793. *most.* 463. 655. 648. *Pers.* 296. 298. 831. *Pseud* 37. — Semel inter duo nomina ,*et*' intercedit: *Cas.* 561: *Per omnis deos et deas deiurauit Occisuram eum hac nocte quicum cubaret.*

Altera quae indidem originem ducit**) formula est ,*Iuppiter dique*' uel ,*dique omnes*'. Comparari potest

*) Comparari potest hoc ,*dulce amarumque*' cum graeco γλυκυπικρον. Confer Sapph. 37 [Ἔρος γλ.] Mel. 76 [βέλος ἔρωτος γλ.] Posidipp. 11 [u. 134].

**) Preller in mythol. rom. pag. 52: *wie man denn auch sonst bei Opfern, Gebeten und Sühnungen immer von dem Glau-*

cum notissima illa ‚*senatus populusque romanus*'. Nam in utraque praecedit generali notioni nomen, quod eius pars est et exemptum ex ea.

Similiter atque formulam modo commemoratam Plautus hanc adhibuit. *Amph.* 1021: *Tibi Iuppiter Dique omnes irati certo sunt, qui sic frangas foris.* — Iuratur per ‚*Iouem deosque omnes*' *Bacch.* 892. *Men.* 621. 655. 811. — In exsecrationibus haec formula legitur *aul.* 650. *capt.* 868. *Curc.* 317. *rud.* 1112: *Iuppiter te dique perdant. most.* 38. *Pseud.* 837: *At te Iuppiter Dique omnes perdant. capt.* 909. *Men.* 933. — Semel ut aliquem perdant ‚*Hercules dique*' inuocantur: *Cas.* 172. — Gratiae aguntur *capt.* 922: *Ioui disque ago gratias merito magnas. Pers.* 755. — Restat locus, quo de copiosius disseram necesse est. *Pers.* 251 sqq. sic in libris leguntur: *Ioui opulento incluto Ope gnato supremo ualido uiripotenti Opes spes bonas copias commodanti Lubens uitulorque merito.* Versum postremum corruptum esse ex insequentibus elucet: ‚*Quoniam meo animo amiciter hanc commoditatis copiam Danunt*'. Quare Ritschelius scripsit ‚*Lubens uitulor* [*at*]*que* [*dis cunctis*] *merito*'. Quod ferri non potest, quia numquam non particula ‚*que*' in hac formula adhibita est. Guil. Studemund [l. l. pag. 43] obseruauit saepius in fabulis plautinis tetrametrum bacchiacum acat. excipi dimetro bacchiaco cum penthemimere iambica ‚*praecipue in iamborum uicinia*'. Quae cum optime in hunc locum quadrent, talem fere uersum effingere malim: *Lubèns uitulòr* [*dis*]*que* [*laétus*] *merito.* — Romani ut rem in dies augeri aut

---

ben ausging, dass nicht blos der einzelne Gott, dem die religiöse Handlung zunächst galt, sondern die ganze Götterwelt solidarisch betroffen sei, so wenig wagte man den einzelnen Fall auf diese oder jene Gottheit allein zurückzuführen. Man pflegte daher nach jedem Gebete zu einem einzelnen der Götter immer nachträglich alle Götter insgemein anzurufen, wofür der Ausdruck galt deos confuse oder generaliter innocare [*cf. Seruium ad Verg. Geo. I.* 10. 21].

minui significarent aduerbia comparatiua uelut ‚*plus — minus — magis*' duplicabant duplicataque per ‚*que*' coniungebant. Plautus quoque his commissuris usus est. *aul.* 18: *Atque ille uero minus minusque inpendio Curare minusque me inpartire honoribus.* — 538: *Plus plusque istuc*[*e*] *sospitent quod nunc habes. Pseud.* 1214: *Edepol ne istuc magis magisque metuo, quom uerba audio.*

Denique mentionem iniciam formulae ‚*satis superque*', quae exstat *Amph.* 168: [*Quoi*] *noctis diesque adsiduo satis superquest.*

Caput III.

De particula atque ac.

§. 1. Particulam ‚*atque*‘ ex praepositione ‚*ad*‘ et ex uocula ‚*que*‘ compositam esse nunc inter omnes constat, cum antea essent qui eius originem ad particulam aduersatiuam ‚*at*‘ redigendam esse putarent *). — Praeter hanc Romani altera forma ‚*ac*‘ utebantur, quae ab illa eo differt quod numquam uocali aut literae h anteposita est. Atque hanc legem comicus quoque secutus est**). Rarissime autem ut apud ceteros scriptores [cf. Mauricium Hauptium in obseru. crit. pag. 34 sq. Luc. Muellerum in libro qui est de re metrica latina pag. 395] ita apud Plautum legitur ‚*ac*‘ ante gutturales: semel ante *g* [*Pers.* 830: *ac geminissumus*], bis *c* litera insequente [*asin.* 479: *simulac conspexero. Bacch.* 147: *Omitte, Lude, ac caue malo*]. Numquam poeta praeposuit ‚*ac*‘ literae *q*. Quae est caussa qua Fleckeiseni emendationem probare non possim. Scripsit enim u. d. *Bacch.* 471 pro ‚*atque acerrume aestuosa*‘ ‚*Ac quae acerrume aestuosa*‘. Ritschelius post ‚*atque*‘ posuit ‚*ea*‘. — Ceterum exstat haec forma ante *b asin.* 205. *rud.* 679. — ante *d: Cas.* 497. *cist. II.* 3. 36. *merc.* 54. 376. *rud.* 454. — ante *f: Amph.* 755. *asin.* 380. *Bacch.* 695. *glor.* 1251. *Stich.* 462. — ante *i semiuocalem: Epid.* 639. — ante *l: Epid.* 393. *Bacch.* 748. *trin.* 750. — ante

*) Confer Reisigii schol. lat. pag. 414. — ‚*Adque* ipsum persaepe exhibent codices. Vide u. g. lectiones decurtati, quas ad trinummum Ritschelius congessit.

**) *glor.* 450 legitur in Bb *Hosticum hoc mihi Domicilium st. Athenis domus est ac herus. ego* etc. Ritschelius ‚*ac*‘ in ‚*at*‘ correxit: *Athenis domust :: At* [*hic*] *erust :: Ego* etc.

m: [*Amph.* 583.]*) *aul.* 340. *Bacch.* 214. *Men.* 489. *merc.* 942. *Pers.* 605. *Pseud.* 568. — ante *n:* [*asin.* 462. 844.] *aul.* 109. *truc.* 328. — ante *p: aul.* 556. [*asin.* 137.] *cist. I.* 2. 25. *glor.* 769. 1133. *Men.* 1090. *Stich.* 226. — ante *r: capt.* 673. — ante *s: asin.* 423. *Bacch.* 903. *capt.* 636. *Poen.* 304. — ante *t: Bacch.* 169. 1120. *most.* 322. *Poen.* 256. 389. *truc.* 398. — ante *u semiuocalem: Amph.* 443. 964. *asin.* 212. *Pseud.* 407. *Stich.* 189. — Bis posuit Plautus ‚*ac*‘ uocula insequente quae duabus literis consonis incipit: *asin.* 423: *ac stomacho. glor.* 1133: *ac Pleusicles.*

Fere octogies apud Plautum particula ‚*atque*‘ ante consonas posita legitur. — Persaepe duas uoces coniungit, quarum utraque aut altera literam *a* exhibet. [cf. u. g. *aul.* 103. *Cas.* 59: *tace atque abi. aul.* 104. *Poen.* 906: *taceo atque abeo. Poen.* 1133: *tace atque parce. capt.* 540: *adi atque adloquere. Bacch.* 978. *Stich.* 464: *adibo atque adloquar. capt* 679: *opera atque astutia. capt.* 744. *Curc.* 522. 588: *uale atque salue. Men.* 1035: *uasa atque argentum. most.* 775: *Alexandrum magnum atque Agathoclem aiunt maxumas Duas res gessisse trin.* 326: *amico atque aequali.* — 394: *me atque animum meum.*] — Quod iam pag. 21 tetigi, non raro hanc particulam coniunctio ‚*ut*‘ excipit **).

§. 2. Vis primitiua particulae ‚*atque*‘ est ‚*et insuper*‘ uel ‚*et praeterea*‘. Et haec uis et grandior quidam pleniorque sonus, qui particulae inest, in caussa esse uidentur cur in iis potissumum adiungendis adhibita sit quae grauioris momenti sunt, ita ut particula copulatiua ipsa lectorum animi in ea quae secuntur intendantur. Ad

*) In locis, quos uncis inclusi. Fleckeisenus ‚*ac*‘ aut deleuit aut mutauit.

**) ‚*Atque ut*‘ legitur *Amph.* 126. 842. *asin.* 148. 713. *aul.* 43. 181 *Bacch.* 527. 750. 751. 875. *Cas.* 685. *Epid.* 270. *glor.* 401. 768. 841. 1130. 1186. *Men.* 427. 572. 753. *merc.* 410. *most.* 149. 869. *Poen.* 969. 1009. *Pseud.* 1151. 1155. *rud.* 303. 901. 1219. 1220. *Stich.* 104. *truc.* 88.

hanc demonstrandi uim maxuma e parte reduci potest usus particulae.

a. Ac primum quidem huc spectat formula *,atque eccum'*, qua is utitur qui hominem, cuius modo mentionem fecit, conspicit. *asin.* 149: ***At scelesta uiden ut ne id quidem me dignum esse existumat Quem adeat, quem conloquatur quoique irato supplicet? Atque eccam inlecebra exit tandem.*** *Men.* 357: ***Set ubi illest quem coquos ante aedis ait esse? atque eccum uideo.*** — 566: ***Hem, Hac abiit, si uis persequi uestigiis. Atque edepol eccum huc optume reuortitur, Set pallam non fert.*** — 772: ***Set id quicquid est iam sciam. atque eccam eampse Ante aedis et eius uirum tristem uideo.*** — 885: ***Ait se obligasse crus fractum Aesculapio, Apollini autem brachium. nunc cogito, Utrum me dicam medicum ducere an fabrum. Atque eccum incedit.*** — 896: ***Ita illum cum cura magna curabo tibi :: Atque eccum ipsum hominem.*** *merc.* 560: ***ut mihi aedis aliquas conducat uolo, Ubi habitet istaec mulier. atque eccum it foras.*** — 670: ***Set anum non uideo consequi nostram Suram. Atque eccam incedit tandem.*** *most.* 1126: ***Nunc ego de sodalitate solus sum orator datus, Qui a patre eius conciliarem pacem. atque eccum optume.*** *Pers.* 738: ***Nisi ego illunc hominem perdo, perii. atque optume eccum ipsum ante aedis.*** *rud.* 491: ***Set ubi ille meus est hospes qui me perdidit? Atque eccum incedit.*** — 1208: ***Set quid istum remoramini, Mulieres, Trachalisnem? atque optume eccum exit foras.*** *Stich.* 576: ***Quin uocasti hominem ad te ad cenam? :: Adueniens ne quid perderem. Atque eccum lupum in sermone, praesens esuriens adest.*** — Pro *,eccum'* *,ipse'* [*,ipsum'*] legitur *asin.* 402: ***Non potuit pictor rectius describere eius formam. Atque hercle ipsum adeo contueor.*** *Epid.* 97: ***Set ego cesso ire obuiam Adulescenti, ut quid sit negoti sciam. atque ipse illic est.*** — Vidimus igitur per *,atque eccum'* personas designari quae paulo antea commemoratae sint. Quare equidem in loco qui est *Curc.* 454 lacunam statuere non dubito. Curculio Luconi argentario epistulam attulit [*u.* 427] per quam Therapontigonus miles mandauerat ut lenoni argentum daret, uirginem autem quam ab hoc acciperet Curculioni [uide *u.* 436: ***Argentum des lenoni [et] huic des uirginem***]. Tum argentarius *u.* 454: ***Sequere hac: te absoluam, qua aduenisti gratia, atque eccum uideo*** [pars postrema huius, prima insequentis uersus in libris deest] ***leno, salue.*** Ante uerba *,atque eccum'* uersum excidisse persuasum habeo quo sermo inciderit in lenonem. — Semel pro *,atque eccum'* *,et eccum'* legitur: *Amph.* 897: ***Et eccum uideo [modo] me miseram qui arguit Stupri dedecoris.*** Fortasse *,set'* praestat. Formula enim *,set eccum'* frequenter usus est comicus siue hominem demonstratum antea commemorauit siue nullam eius fecit mentionem. cf. *capt* 997. *Poen.* 1158. *truc.* 902. *Epid.* 178. *)

b. Demonstrationi fere semper admixta est asseueratio quaedam et affirmatio, quia id quod demonstrari potest re uera esse oportet. Inde ortus est usus particulae *,atque'* e quo pro *,et sane'* *,et certo'* posita esse uidetur et saepe has particulas ipsas recipit. Hanc uim asseueratiuam *,atque'* exercet, si quis id de quo antea dubitauit post ipse re uera esse confirmat. *Stich.* 582: ***Set uideon ego Pamphilum cum fratre suo Epignomo? atque is est.*** *truc.* 124: ***Diniarchusne illic est? atque is est.*** *,Atque'* uernacula lingua per *,ja'* uel *,ja wahrlich'* reddimus. *,Quidem'* adiectum est *aul.* 720: ***Quinam homo hic ante aedis nostras eiulans conqueritur maerens? atque hic quidem Eucliost, ut opinor*** *Bacch.* 773. Priore loco editores *,atque'* in *,at'* mutauerunt. Codicum lectionem seruandam esse ex natura particulae modo illustrata et e ceteris exemplis collatis luce clarius apparet. Reliqua exempla haec sunt: *Cas.* 166. *Men.* 980. *Pseud.* 678. *Stich* 95.

---

*) Reliqua exempla formulae *,set eccum'* congessit A. Spengel l. l. pag. 110 sq.

Saepius additas legimus particulas asseueratiuas uelut ‚*hercle*‘ ‚*edepol*‘ ‚*quidem*‘ etc. *asin.* 843: *atque ego quidem hercle ut uerum tibi dicam. pater, Ea res me male habet.* *aul.* 18: *Atque ille uero minus minusque inpendio curare minusque me inpartire honoribus.* Handius l. l. I. pag. 509 i. f. refert esse qui hoc loco uoculam ‚*uero*‘ aduersatiuam particulam esse uelint. Quod quomodo fieri potuerit equidem intellegere nequeo. *Bacch.* 85: *Rapidus fluuius est hic: non hac temere transiri potest :: Atque ecastor apud hunc fluuium aliquid perdundumst tibi.* *capt.* 584: *Hegio, uide sis nequid tu huic temere insistas credere. Atque ut perspicio, profecto iam aliquid pugnae dedit.* *Cas.* 448: *flagitium homonis* *), *qui dixit mihi Suam uxorem hanc arcessituram esse: ea se eam negat morarier. Atque edepol mirum, ni subolet iam hoc huic uicinae meae* *glor.* 655: *O lepidissumum senem, si quas memorat uirtutis habet: Atque quidem* [*pol*] *plane eductum in nutricatu Venerio.* *merc.* 243: *Respondet: ni illam properem ab sese abducere, Domum se ad uxorem intro ducturum meam. Atque oppido hercle bene uelle illud uisus sum.* *most.* 146: *Atque edepol ita tigna umide haec putent.* — 708: *Atque pol nescio ut moribus sient Vostrae.* *Pers.* 451. 593. *Poen.* 499. *Pseud.* 784. *rud.* 1236.

Deuenimus ad usum illustrandum e quo ‚*atque*‘ adiungat grauiora oratioque per hanc particulam ad maiora ascendat. Nos dicimus ‚*und sogar*‘ *asin* 414: *Si quidem hercle nunc summum Iouem te dicas detinuisse Atque is precator adsiet, malam rem ecfugies numquam.* *aul.* 405: *totus doleo atque oppido per i.* *Epid.* 300: *Quin ex occluso atque obsignato armario Decutio argentum tantum quantum mihi lubet.* *Pers.* 783: *Qui illum Persam atque omnis Persas atque etiam omnis personas Male di omnes perdant.* *Pseud.* 265: *nam si*

*) ‚*Flagitium homonis*‘ Th. Bergkio auctore [u. philol. XVII pag. 54 sqq.] scripsit H. Usener in libello academ. Gryphiswaldiae anni h. s. LXVI uere edito.

sacruficem summo Ioui Atque in manibus exta teneam ut poriciam, interea loci Si lucri quid detur, potius rem diuinam deseram. *rud.* 121: *Dabitur opera, atque in negotio.* *trin.* 474: *At pol ego, etsi uotet, Edim atque ambabus malis expletis uorem Et quod illi placeat, praeripiam potissumum.*

Et huc frequenter accedunt particulae uelut ‚*etiam, quoque, adeo, insuper*‘, quibus res supra modum efferri significetur. *Bacch.* 1092: *Perditus sum atque etiam eradicatus sum.* *Cas.* 263: *perperam Iamdudum fabulor :: Pol tu quidem atque etiam facis.* *truc.* 113: *Nam ipsi uident, bona quom eorum adgerimus, atque etiam ultro ipsi adgerunt ad nos.* *Amph.* 30: *Atque ego quoque etiam, qui Iouis sum filius, Contagione mei patris metuo malum.* *asin.* 502: *Atque etiam tu quoque ipse si esses percontatus Me ex aliis, scio pol crederes quod nunc fers.* *Amph.* 887: *Non edepol faciam . . . quin ego illum aut deseram aut faciat satis ille atque adiuret insuper.* — Interdum ‚*atque etiam*‘, ‚*atque adeo*‘ semper apud Plautum, si hac formula incipit sententia, nihil aliud significat quam ‚*et praeterea*‘ uel ‚*et huc accedit*‘. En exempla: *aul.* 99: *atque etiam hoc praedico tibi: Si bona fortuna ueniat, ne intromiseris.* *Bacch.* 757: *Numquid aliud? :: Hoc atque etiam.* *Epid.* 461: *Heus! foras educite Quam introduxistis fidicinam: atque etiam fides Ei quae accessere, addam tibi dono gratiis.* *Pseud.* 1073: *Roga obsecro hercle: gestio promittere. Atque etiam habeto mulierem dono tibi.* — 1222: *Hercle hau te sinam moriri, nisi mi argentum redditur Viginti minae :: Atque etiam mihi aliae uiginti minae.* — ‚*Atque adeo*‘ legitur *glor.* 164: *Atque adeo, ut ne legi fraudem faciant aleariae, Adcuratote ut sine talis domi agitent conuiuium.* — 1088. *Men. prol.* 7. 126. *Pseud.* 290. *Stich.* 701. — Cum his formula cohaeret ‚*atque audin?*‘ qua is utitur qui de scaena abiturum reuocat, ut id quod antea omisit dicat. Passim ‚*etiam*‘ additum est. *asin.* 109: *Atque audin etiam? :: Ecce.* *Epid.* 390: *Atque audin? :: Quid*

uis? Poen. 399. *Pseud.* 665. *trin.* 799: ***atque audin? :: Quid est?*** *Bacch.* 327 Crusalus reuocat Nicobulum uerbis *atque heus tu.*

Asseuerationi simulque amplificationi indicandae particula ‚***atque***' inseruit in responsionibus, quibus id quod alter rogauit non modo affirmatur, sed etiam additur quod est maioris momenti. *Amph.* 755: ***audin illum? :: Ego uero ac falsum dicere.*** *Bacch.* 538: ***Numquae aduenienti aegritudo obiectast? :: Atque acerruma.*** — 568: ***Quid, amas Bacchidem? :: Duas ergo hic intus eccas Bacchides :: Quid, duae? :: Atque ambas sorores.*** *Cas.* 612: ***Erus sum :: Qui erus? :: Quoius tu seruo's :: Egone? :: Atque meus.*** *cist. II.* 3. 24: ***Periurare me patiere? :: Atque aliquanto facilius Quam me meamque rem perire et ludificari filiam.*** *Epid.* 371: ***Abeamus intro hinc ad me :: Atque aliquanto lubentius quam abs te sum egressus intus.*** *glor.* 337: ***Nempe tu isti ais esse erilem concubinan? :: Atque arguo Eam me uidisse osculantem hic intus cum alieno uiro.*** — 365: ***Dixtin Tu te uidisse in proxumo hic. celeste, ausculantem? :: Atque cum alieno adulescentulo dixit.*** *Men.* 149: ***Ecquid audes de tuo istuc addere? :: Atque hilarissume.*** Pro ‚*atque*' libri exhibent ‚*atqui*'. *Poen.* 906: ***Potin ut taceas? :: Taceo atque abeo.*** *Pers.* 830. *Pseud.* 230. 739. *trin.* 780.

Etiam his iuncturis adiectas inuenimus particulas illas affirmatiuas et intensiuas. *asin.* 482: ***Tibi quidem de nobis, carnufex, detur supplicium? :: Atque etiam Pro dictis uostris maledicis poenae pendentur mi hodie.*** *Bacch.* 824: ***Numquam auferes hinc aurum :: Atqui iam dabis :: Dabo? :: Atque orabis me quidem ultro ut auferam.*** *Curc.* 571: ***Mihin malum minitare? :: Atque edepol non minitabor, sed dabo.*** *Epid.* 29: ***Ubi arma sunt Stratippoeli? :: Pol illa ad hostes transfugerunt :: Armane? :: Atque quidem cito.*** *glor.* 368: ***Tun uidisti? :: Atque his quidem oculis.*** *Pseud.* 194: ***Quae loquitur? * * * satin magnificus tibi uidetur? :: Pol iste atque etiam malificus.*** — 367: ***Verberauisti***

patrem atque matrem :: Atque occidi quoque Potius quam cibum praehiberem — 1010: ***Tun es is Harpax? :: Ego sum: atque Harpax quidem.*** *rud.* 736: ***Numqui minus hasce esse oportet liberas? :: Quia, liberas? :: Atque eras tuas quidem hercle atque ex germana Graecia.*** *trin.* 609. 940. 964.

§. 3. Ex hac ui asseueratiua, cui gradationem quandam admixtam esse uidimus, sequitur ut particula ‚*atque*' coniungat quae sunt contraria. Etenim quod alteri opponitur id fere fortius et grauius affirmari solet. Pro ‚*et tamen*' ‚*atque*' positum est *Bacch.* 814: ***O stulte, stulte, nescis nunc uenire te: Atque in eopse adstas lapide, ut praeco praedicat.*** *Men.* 576: ***Si quist pauper atque haut malus, nequam habetur.*** *merc.* 531: ***Bono animo's, liberabit Ille te homo: ita edepol deperit: atque hodie primum uidit.*** *Pseud.* 308: ***Nilne mei miseret te? :: Inania cedis: dicta non sonant. Atque ego te uiuom saluomque uellem.***

Vim coercentem exhibet particula *ibid.* 278: ***Audio: Atque in pauca, ut occu atus nunc sum, confer quid uelis*** *).

Frequenter duos imperatiuos coniungit, quorum altero alterius rei loco aliquid fieri iubetur. [Confer cap. I. §. 3 i. f.] *Amph.* 1101: ***Mitte istaec atque haec quae dicam accipe.*** *asin.* 578: ***Iam omitte ista atque hoc quod rogo responde.*** — 254: ***Quin tu abs te socordiam omnem reicis, segnitiem amoues Atque ad ingenium uetus uorsutum te recipis tuom?*** — 659: ***Quin tu labore liberas te atque istam inponis in me?*** *Bacch.* 137: ***Tace atque sequere me.*** — 169: ***sequere hac me ac tace.*** *capt.* 786: ***Moue aps te moram [nunc], Ergasile, atque age hanc rem.*** *Cas.* 12: ***Quin potius quod legatumst***

*) ‚*Atque tamen*' legitur *Pers.* 639: ***Ita me di ament, sapienter: atque me miseret tamen.*** *trin.* 85: ***si id non feceris Atque id tamen mihi lubeat suspicarier.***

tibi negotium Id curas atque urbanis rebus te abstines? cist. IIII. 2. 81: *Set quaeso ambages, mulier, mitte atque haec age. Curc.* 245: *Aufer quaeso ista atque hoc responde quod rogo. Men.* 405: *Iam me, amabo, desine ludos facere atque i hac mecum semul. merc.* 871: *Repudia istos comites atque hoc respice et reuortere. Poen.* 256: *Ne obturba ac tace. Pseud.* 195: *Set tace nunc atque hanc rem gere. trin.* 66: *Set hoc animum aduorte atque aufer ridicularia.* — Reliqua quae huc spectant exempla adscribam. *aul.* 109: *Id si relinquo ac non peto. Bacch.* 749: *Obsecro quid istis ad istunc usust conscriptis modum, Ut tibi nequid credat atque ut uinctum te adseruet domi? :: Quia lubet ita: potin ut cures te atque ut ne parcas mihi? capt.* 244: *nunc te oro per precem . . . Ne me secus honore honestes quam quom seruibas mihi Atque ut qui fueris et qui nunc sis meminisse ut memineris. Cas.* 325: *Atque id non tam aegrest iam uicisse uilicum Quam id expetiuisse opere tam magno senem Ne ea mihi daretur atque ut illi nuberet.* — 471: *Metuo ne non sit surda atque haec audiuerit. Epid.* 671: *Meo hercle uero atque hau tuo Conligandae haec sunt tibi hodie. Capt.* 640: *Set ubi is nunc est? :: Ubi ego minume atque ipsus se uolt maxume.* — 1025: *Compedibus* [*te*] *quaeso ut tibi sit leuior filius Atque hic grauior seruos. most.* 188: *Tu ecastor erras, quae quidem illum exoptes unum atque illi Morem praecipue sic geras atque alios aspernere.* — 233: *Utinam meus nunc mortuos pater ad me nuntietur, Ut ego exheredem meis bonis me faciam atque haec sit heres.* — 375: *Valet ille quidem atque ego disperii. trin.* 936. *truc.* 222. *asin.* 905.

§. 4. Ut ‚*et*,‛ ‚*que*‛ sic ‚*atque*‛ adiungit quae priora certioribus finibus circumscribant. Consentaneum est hic quoque particulam saepe addere aliquid maioris momenti*).

*) Semper fere in his iuncturis particulam excipit pronomen demonstratiuum.

Amph. 742: *Iterum iam hic in me inclementer dicit atque id sine malo. asin.* 229: *dic, quid me aequom censes pro illa tibi dare, Annum hunc ne sit cum quiquam alio? :: Tune? Viginti minas: Atque ea lege.* — 716: *Quem te deum autem nominem? :: Fortunam atque Obsequentem.* [De hoc numine uide Prelleri *mythol. rom.* pag. 558]. *Bacch.* 470: *Meretricem indigne deperit :: Non tu taces? :: Atque* [*ea*] *acerrume aestuose absorbet ubi quemque attigit.* — 973: *non quinquaginta modo, quadrigentos filios habet atque omnis lectos sine probro.* Libri post ‚*atque*‛ ‚*equidem*‛ exhibent, quod Hermanno auctore eiecerunt Fleckeisenus Ritschelius. [Vide Ritschelii *prol. trin.* pag. LXXVIII]. — *Capt.* 735: *Inde extra portam ad meum libertum Cordalum In lapicidinas facite deductus siet: Atque hunc me uelle dicite ita curarier, Nequi deterius huic sit quam quoi pessumest. Epid.* 144: *Ego istuc accedam periclum potius atque audaciter.* ‚*Audaciter*‛ Guyeti est, libri habent ‚*audaciam*‛. — *Men.* 209: *Atque aliquid scitamentorum de foro obsonarier* [sc. *iube*] . . . *Atque actutum. most.* 702: *Si quis dotatam uxorem atque anum* [*homo*] *habet, Eum hominem sollicitat sopor.* Pro ‚*hominem*‛ in libris ‚*neminem*‛ exstat. *Pseud.* 725: *qui quando principium prachenderit, Porro sua uirtute teneat, quid se facere oporteat: Atque qui hic non uisitatus saepe sit. rud.* 893: *iam cluentas repperi, Atque ambas forma scitula atque aetatula. Stich.* 183: *Oratio una interiit hominum pessume Atque optuma hercle meo animo et scitissuma. trin.* 362: *Mentire edepol, gnate, atque id nunc facis haut consuetudine. truc.* 745: *Unum aiebas, tria dum dixti uerba atque ea mendacia.* — Interdum particulae uis augetur addito ‚*profecto, adeo*‛. *Curc.* 332: *Respondit mihi paucis uerbis atque adeo fideliter. truc.* 356: *Vah! uapulo hercle nunc ego atque adeo male. Epid.* 458: *Tuas possidebit mulier faxo ferias Atque ita profecto ut eam ex hoc exoneres agro.* ‚Praue Geppertus ‚*exoneres*‛ in

,*exornes*' mutauit. Sensus enim hic est: Si sexaginta mihi denumerantur minae [quae uerba praecedunt], mulierem tibi dabo, atque ea lege [cf. *asin.* 229] ut eam hinc abducas. Atque haec addit Periphanes, ne uirgo, si Athenis remaneat, Stratippoclem filium amore perdat.

Ceterum particula ,*atque*' haut aliter quam ,*et, que*' addit sententias et notiones priores explicandi caussa.

Legitur enim *bene atque amice* [*Pseud.* 521. *Stich.* 469] *bene ac pudice* [*cist. I.* 3. 35] *male atque malitiose* [*glor.* 887] *bonum atque fortunatum* [*Cas.* 278. 298]. — *Amph.* 476: *Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet atque insimulabit eam probri. asin.* 380: *Quin tuom officium facis ergo ac fugis?* Ut saepe, in libris pro ,*ac*' ,*hac*' legitur. — 679: *Age sis tuam partem nunc iam hunc delude atque amplexare hanc. Curc.* 223: *Si recte facias, Phaedrome, auscultes mihi Atque istam exturbes ex animo aegritudinem. Epid.* 339: *Dum tibi ego placeam atque obsequar, meum tergum flocci facio.* — 616: *Absolue me atque argentum numera. Cas.* 796: *Quid nunc agam nescio, nisi ut inprobos famulos imiter Ac domo fugiam. Men.* 396: *Qui lubet ludibrio habere me atque ire infitias mihi Facta quae sunt? merc.* 351: *Nunc si dico ut res est atque illam mihi me Emisse indico. Poen.* 304: *ausculta mihi modo ac suspende te.* Gepperto teste A non ,*ac*', sed ,*et*' exhibet. *Pseud.* 463: *Per nebulam nosmet scimus atque audiuimus.* [Nos dicimus ,*von Hörensagen*'.] *rud.* 403: *ego quod mihi imperauit Sacerdos id faciam atque aquam hinc de proxumo rogabo.* — 1389. *trin.* 666. — His omnibus locis ,*atque*' per ,*indem*' uel ,*nämlich*' uel ,*denn*' reddere possumus.

§. 5. Quod ad quam rem accedit, ut cum ea coniunctum uni rationi subiciatur, ei aut par est aut impar. — Hactenus uidimus per ,*atque*' adiungi, quibus grauius momentum contineatur. Sed praepositio ,*ad*', quae prima particulae pars est, non modo ,*praeterea*' [*insuper*] rem accedere indicat, sed etiam cum priore componi *ex aequo*.

— Ita fit ut particula ,*atque*' pro ,*ut — ita* uel ,*et — et*' posita uideatur, deinde in iis componendis locum obtineat quae interiore quodam nexu artissime inter se cohaerent.

Inde componuntur per ,*atque*' duae contrariae notiones quae communi quodam uinculo continentur. *asin.* 520: *Ad locundum atque ad tacendum tute habeas portisculum. Epid.* 102: *Rem tibi sum elocutus omnem. Chaeribu e, atque admodum Meorum maerorum atque amorum summam edictaui tibi. Men.* 162: *id enim quod tu uis, id aio atque id nego. merc.* 822: *Erus atque alumnus tuos sum. most.* 304: *Bene igitur ratio accepti atque expensi inter nos conuenit. Pers.* 8: *Ne illum edepol multa in pectore suo conlocare oportet Quae ero placere censeat praesenti atque absenti suo.* — 174: *Quom meum ingenium fans atque infans tu nondum etiam edidicisti. Pseud.* 694: *Dulcia atque amara apud te sum elocutus omnia. rud.* 4: *Signum quod semper tempore exoritur suo, Hic atque in caelo. trin.* 104: *Est atque non est mi in manu. trin.* 489: *Dare atque accipere, Lesbonice, te uolo.* — 1109: *Illic sum atque hic sum. truc.* 344: *nunc postquam scio Dulce atque amarum quid sit ex pecunia.* — Unum aduerbium spectat ad duo uerba *Pseud.* 273: *Amatur atque egetur acriter.*

Ut in altera parte huius dissertationis demonstrabo, Plautus persaepe duas notiones per ,*et — et*' coniungit, quae sequenti aut praecedenti ,*uterque*' — ,*duo*' — aliis quae numerum indicant continentur. Pro ,*et — et*' passim legimus ,*atque*'. *capt.* 368: *Utroqueuorsum rectumst ingenium meum Ad te atque [ad] illum: pro rota me uti licet. Cas.* 265: *Set uterque suo pro iure, ego atque hic, oramus. Epid.* 611: *Quem Apella atque Zeuxis duo pingent pigmentis ulmeis. rud.* 72: *Nunc ambo in saxo, leno atque [eius] hospes, semul Sedent eiecti. truc.* 47: *bis perit amator, ab re atque [ab] animo semul.*

Eundem locum particula ,*atque*' obtinet in formula ,*di atque homines*'. Hanc precationum fuisse colligi

potest e tribus locis plautinis ipsis. Nominatur enim Iuppiter ,[*summus*] *imperator diuom atque hominum*' [*Amph.* 1121. *rud.* 9] ,*rex deorum atque hominum*' [*capt.* 622]. Huc adde *merc.* 842: *Diuom atque hominum quae spectatrix atque era eadem es hominibus.* [Idem uersus legitur post u. 598, unde exclusit eum Acidalius]. — Ut fieri solet uerbis saepe auditis, in usum uitae quotidianae transierunt et adhibebantur, ut alicui rei grauior uis inferretur. Confer *Poen.* 818: *Satis spectatumst deos atque homines eius neglegere gratiam Quoius hominis erus est consimilis, uelut ego habeo hunc huius modi. Pseud.* 381: *Illic homo meust, nisi omnes di me atque homines deserunt.* — 600: *St, tace: meus est hic homo, ni omnes di me atque homines deserunt. rud.* 318: *Deorum odium atque hominum* — 407: *Quoi deos atque homines censeam bene facere magis decere. trin.* 912: *Deum me hercle atque hominum pudet.* — Potissimum hac formula utuntur qui quid summa asseueratione affirmant aut obsecrant. *capt.* 622: *At ita me rex deorum atque hominum faxit patriae compotem. Men.* 990: *Per ego uobis deos atque homines dico. trin.* 520: *Per deos atque homines dico. capt.* 727: *Per deos atque homines ego te obtestor, Hegio. glor.* 540. — ,*Pro deum atque hominum fidem*' legitur *Curc.* 694. *Epid.* 566. Vide *aul.* 297: *Quin diuom atque hominum clamat continuo fidem. Men.* 1053: *Tu clamabas deum fidem atque hominum omnium.* Adiectiua quoque inde deriuata per ,*atque*' coniuncta exstant *Poen.* 457: *Quid ei diuini atque humani aequomst credere?* A solus exhibet ,*atque*', reliqui ,*aut*' [B ,*haud*']. Retinenda mihi uidetur ambrosiani lectio, quia uerba ,*diuini*' ,*humani*' artissime cohaerent atque in unam notionem coalescunt. Confer Zumptii *g. l.* §. 337. *trin.* 479: *Nam ibi de diuinis atque humanis cernitur.* — Semel inueni ,*di et homines*'. *rud.* 346: *Si deos decepit et homines, lenonum more fecit.* — ,*Diuina humanaque*' legitur *Amph.* 258.

§. 6. Adgrediamur ad usum explicandum, e quo per ,*atque*' coniunguntur inter quae ratio quaedam interior intercedit.

Et primum alterum posteriore tempore factum est, quam prius. *Amph.* 795: *Me captas, quia tute ab naui clanculum huc alia uia Praecucurristi atque hinc pateram exemisti atque eam Huic dedisti.* — 1000: *Atque illinc susum escendero. aul.* 95: *Cultrum securim pistillum mortarium, Quae utenda uasa semper uicini rogant, Fures uenisse atque abstulisse dicito. Bacch.* 917: *Miles Mnesilochum cum uxore opprimeret sua Atque obtruncaret moechum manufestarium.* — 966: *Post cum magnifico milite, urbis uerbis qui inermus capit, Conflixi atque hominem reppuli. cist. I.* 3. 32. *Epid.* 309. *glor* 1224. 1226. *Men.* 862. 1122. *merc. prol.* 74. 224. 927. *most.* 425. 966. *Pers.* 439. *Poen.* 1014. *Pseud.* 839. 1320. *rud.* 561. 1291. *Stich.* 775. *trin.* 468. *truc.* 473. 620.

§. 7. Hoc loco de eo usu particulae ,*atque*' disseram necesse est, quo de grammatici et ueteres et recentiores multum disputauerunt. Exstant enim aliquot loci, in quibus interpretes ,*atque*' per ,*et statim*' explicandum censuerunt *) Velut *Amph.* 1069: *adcurro ut sciscam quid uelit: Atque illam geminos filios pueros peperisse conspicor. glor.* 287. *Forte fortuna per inpluuium huc despexi in proxumum: Atque ego illi aspicio osculantem Philocomasium cum altero Nescio quo adulescente. merc.* 259: *Inscendi in lembum atque ad illam nauem deuehor: Atque illi aspicio forma exima mulierem.* Haec exempla eiusdem generis sunt atque quae modo attuli, neque quicquam impedit quominus ,*atque*' pro ,*et tum*' ,*et deinde*' accipiamus. Nos quidem hanc rationem apodoseos forma significare et pro ,*und*' — ,*da*' uel ,*so*' dicere possumus.

*) Confer Gellii n. a. X. 29 ,*et praeterea pro alio quoque aduerbio dicitur id est statim*'. — Ceterum ubere de hac re loquitur Handius in Tursellini uol. I. pag. 480 sqq.

Alia exempla in quibus critici *‚atque‘* aduerbii *‚statim‘* locum obtinere putarunt, haec sunt: *capt.* 479 *sqq.*: *‚Saluete‘ inquam ‚quo imus una ad prandium?‘ atque illi tacent . . . ‚ubi cenamus [hodie]?‘ inquam atque illi abnuont. most.* 486: *Abimus omnes cubitum, condormiuimus. Lucernam forte oblitus fueram extinguere: Atque ille exclamat derepente maxumum.* — Meminerint uelim lectores me supra [cap. I §. 3] tria quattuorue exempla attulisse [cf. u. g. *Cas.* 379: *Ego iussi et dixit*] quae ita erant comparata ut duae enuntiationes per *‚et‘* coniungerentur quarum posterior post priorem incidit, alia autem aliud habuit subiectum. Eundem locum, quem *‚et‘* particulam, *‚atque‘* in his obtinere apparet, siue id, ut Handius [l. l. I pag. 491 i. f.] uult, graeco *δέ* respondere siue pro *‚et tum‘* positum putamus, neque audiendi sunt ii qui *‚atque‘* per *‚et statim‘* reddunt aut Geppertus qui ubique *‚at ecce‘ ‚at eccillum‘* scripsit.

Enuntiationes condicionales passim ita componuntur ut qua condicio continetur imperatiuo modo exprimatur. [u. g. Cic. p. Sull. 2: *recordare de ceteris: intelliges iudicium meum et horum par atque unum fuisse.*] Interdum duas sententias particula copulatiua coniungit. Confer exempla ab Handio [l. l. II pag. 485. 21] allata, unde solam particulam *‚et‘* eamque apud scriptores posteriores in usu fuisse colligi posse uidetur. Plautus semel *‚ac‘* particulam in hac iunctura adhibuit: *Bacch.* 695: *perge: ac facile ecfeceris* [D *‚hac‘* exhibet].

Difficilior res est diiudicatu, cum per *‚atque‘* apodosis infertur, protasis per coniunctionem subordinatiuam, ita ut secundariam primaria sententia excipiat. Nisi fallor, ut quam artissime duas sententias cohaerere significarent, Romani copulam ipsam interposuerunt quam nos quidem per *‚so‘* uel *‚da‘* reddamus necesse est. In fabulis plautinis haec exempla exstant: *Bacch.* 278: *forte ut adsedi in stega, Dum circumspecto [me], atque ego lembum conspicor. Epid.* 209: *Quom ad portam uenio, atque ego illam illic uideo praestolarier. most.* 1050: *Quom*

*[eum] conuocaui, atque illi me ex senatu segregant**). Recte Bothius Geppertus [qui tamen haud recte *‚atque‘* in *‚at eccistum‘* mutauit] intellexerunt *‚atque‘* eundem locum obtinere in *Poen.* 642: *Nescimus nos quidem istum qui siet, Nisi dudum mane ad portum uti processimus, Atque istum e naui exeuntem oneraria Videmus.* Quod exemplum eo magis dignum est memoratu, quia apodosis per *‚atque‘* illata pendet e coniunctione *‚nisi‘* protasi interiecta. — Non praetermittendum uidetur, sic seruos tantum et homines plebeios [Crusalum in Bacch., Epidicum in Epid., Tranionem in most., aduocatos in Poen. (cf. u. 506)] loquentes facere poetam.

§. 8. Frequentissime particula *‚atque‘* inter duo enuntiata intercedit quorum altero caussa prioris indicatur. Supra [cap. I §. 5] exempla congessi in quibus uerbis eundi per *‚et‘* adiciuntur alia uerba. *‚Atque‘* legitur *Amph.* 460: *Ibo ad portum atque haec uti sunt facta ero dicam meo.* — 1015: *Nunc domum ibo atque ex uxore mea hanc rem pergam exquirere. asin.* 115: *Pergam quo occepi atque ibi consilia exordiar.* *‚Nunc ibo‘* suppleuit Fleckeisenus *asin.* 126: *[Nunc ibo] atque ibi manebo apud argentarium.* — 245 *aul.* 651. *capt.* 192. *cist. II.* 3. 85. *Bacch* 507. *Curc.* 273. *Epid.* 159. *glor.* 259. 1085. *Men.* 875. *merc.* 472. 582. 797. *Poen.* 439. *Pseud.* 764. 903. *Stich.* 143. *trin.* 614. *truc.* 312. Hoc modo indicant actores, quid extra scaenam acturi sint.

Si in scaena duae personae conueniunt, altera antequam salutet alteram dicere solet *‚Adibo atque adloquar‘*. — *Amph.* 515: *Accedam atque hanc appellabo et supparasitabor patri. asin.* 295: *ibo aduorsum atque electabo quidquid est. aul.* 209: *Ibo atque eloquar* [sc. me thensaurum repperisse]. *Bacch.* 978: *Set Pria-*

---

*) Vix probari potest O. Lorenzii [in edit. mostellariae Berol. 1866 facta] sententia qui graecum *οὐκ ἔφθην — καί* in comparationem uocat. Nam hic duae sententiae primariae per *καί* coniunctae sunt.

mum adstantem eccum ante portam uideo. Ibo atque adloquar. Men. 275: *Set eccum Menaechmum uideo . . . Adibo atque adloquar.* — 707: *Adibo atque hominem accipiam quibus dictis meret.* — 808: *Adibo ad hominem atque adloquar. merc.* 712: *Quid nunc ego faciam nisi ut eam adeam atque adloquar? most.* 543: *Accedam atque appellabo. Poen.* 971. *Stich.* 315. 464. *trin.* 1041. — Huc adde *Curc.* 145: *Quid si adeam ad foris atque occentem? Men.* 329: *Te ire hercle meliust intro atque accumbere. merc.* 376: *si sapias eas ac decumbas domi. Pers.* 671: *abin atque argentum petis? :: Heus tu serua istum :: Quin tu intro is? :: Abeo atque argentum adfero. truc.* 508: *Consequere atque illam saluta et gratulare illi. Curc.* 351: *Quid si abeamus ac decumbamus?* Fleckeisenus ‚*ac*' deleuit. — De uerbis eundi hactenus.

Praeterea ‚*atque*' coniunctionis finalis munere fungi uidetur in his: *Amph.* 450: *Quadrigas si nunc inscendas Iouis atque hinc fugias.* — 787: *Certumst aperire atque inspicere* [pro ‚*inspiciendi caussa*' s. ‚*ut inspiciam*']. *asin.* 884: *Egone ut non domo uxori meae Subrupiam pallam in deliciis quam habet atque ad te deferam? aul.* 670: *Iam ego illuc praecurram atque inscendam aliquam in arborem. Bacch.* 571: *Tollam ego ted in collum atque intro hinc auferam. Epid.* 180: *Iam ego me conuortam in hirudinem atque eorum exsugebo sanguinem. glor.* 342: *Serua istas foris Ne tibi clam se subterducat atque huc transeat.* — 930: *ego [eo] ad forum, illum Conueniam atque hunc ei anulum dabo atque praedicabo. Men.* 449: *Menaechmus se subterduxit mihi Atque abit ad amicam.* — 507: *Surrupuistin uxori tuae Pallam istanc hodie atque eam dedisti Erotio?* — 555: *Demam hanc coronam atque abiciam ad laeuam manum.* — 560: *Vbi uir compilet clanculum, quicquid domist Atque hinc ad amicam deferat.* — 729. 858. *most.* 218. *Poen.* 765. *rud.* 397. 454. 748. 931. *Stich.* 374. — Non raro duos imperatiuos poeta hac particula composuit, quorum quod priore continetur perfici iubetur posteriore. *Bacch.* 822: *abducite hunc intro atque adstringite ad columnam fortiter. Cas.* 205: *Una edepol opera in furnum calidum condito Atque ibi torreto me pro pane rubido. cist. II.* 3. 36: *Ubi habitat, inquam, duc ac demonstra mihi.* — 56: *Adulescens, asta atque audi. merc.* 137: *At tu edepol sume laciniam atque absterge sudorem tibi.* — 921: *Mane parumper atque hoc audi. Men.* 272: *Cape atque serua. most.* 267: *Linteum cape atque exterge tibi manus. Pers.* 815: *Restim tu tibi cape crassam ac te suspende. Pseud.* 357: *Pseudule, adsiste altrinsecus atque onera hunc maledictis.* — 647: *tu epistulam hanc a me accipe atque illi dato. rud.* 775: *Quaere erum atque adduce. truc.* 902: *Accipe hoc atque auferto intro.*

§. 9. ‚*Atque*' pro ‚*et ideo*' ‚*et ita*' accipere possumus *aul.* 189: *Virginem habeo grandem, dote cassam atque inlocabilem. capt.* 278: *Quod genus illist unum pollens atque honoratissumum. Men.* 899: *Edepol ne hic dies peruorsus atque aduorsus mi obtigit. rud.* 1204: *Nimis paene inepta atque odiosa eius amatiost. trin.* 167: *Me absente atque insciente, inconsultu meo, Aedis uenalis hasce inscribit literis.* — 416: *Sero atque stulte, prius quod cautum oportuit, Postquam comedit rem, post rationem putat.* — 738: *Verum hoc ego uereor, ne istaec pollicitatio Te in crimen populo ponat atque infamiam.* Figura quam ὕστερον πρότερον uocant legitur *aul.* 274: *Nunc probrum atque partitudo prope adest ut fiat palam.* — Enuntiatorum exempla exstant *Amph.* 876: *Post igitur demum faciam ut res fiat palam Atque Alcumenae in tempore auxilium feram. aul.* 708: *caecus eo atque equidem quo eam aut ubi sim aut qui sim Nequeo cum animo certum inuestigare. Bacch.* 147: *Omitte, Lude, ac caue malo.* — 778: *Per omnis deos adiuro, ni meum Gnatum tam amem atque ei facta cupiam quae is uelit. glor.* 677: *Es, bibe, animo obsequere mecum atque onera te hilaritudine.* —

970: *Ea demoritur te atque ab illo cupit abire* *). — 1126: *quin potius per gratiam Bonam abeat abs te: atque illaec quae dixi ei dato.* *most.* 188: *Tu ecastor erras, quae quidem illum exoptes unum atque illi Morem praecipue sic geras.* *Pers.* 574: *I sane, eme hanc atque ausculta mihi* **). — 600: *I sane ac morem illi gere.* *rud.* 1139: *Quid, si ista aut superstitiosa aut ariolast atque omnia. Quicquid inest, uera dicet?* *Stich.* 598: *Iube domi cenam coqui Atque ad illum renuntiari.* *trin.* 829: *Pauperibus te parcere solitum, ditis dampnare atque domare.*

§. 10. Breuiter quae restant absoluam. — Pluribus rebus enumeratis per ‚*atque*' generalis notio adiungitur: *aul.* 524: *Haec sunt atque aliae multae in magnis dotibus incommoditates sumptusque intolerabiles.* *Bacch.* 497: *Concastiga hominem probe Qui dedecorat me te amicum atque alios flagitiis suis.* — 1112: *At mihi Crusalus optumus homo* [*meum*] *Perdidit filium, me atque rem omnem meam.* *glor.* 698: *Haec atque* [*horum*] *similia alia damna multa mulierum Me prohibent uxore.* *Pseud.* 182: *Cur ego uestem aurum atque ea quibus est uobis usus praehibeo?*

Sunt aliquot formulae, in quibus particula peculiarem sedem obtinet. — Probantis atque concedentis uerba sunt ‚*Optumum atque aequissumum oras* [*orat*]'. *capt.* 331: *Eum si reddis mihi, praeterea* [*tu*] *unum nummum ne duis: Et te et hunc amittam hinc. alio pacto abire non potes :: Optumum atque aequissumum oras optumusque hominum homo's.* ‚*Homonum*', non ‚*hominum*' scripsi lectione ueteris codicis Camerarii nisus, in quo legitur ‚*hominum homo's*'. Editores reliquos codices secuti sunt, qui exhibent ‚*hominum es homo*'. *Epid.* 707. *Pseud.* 388. *Stich.* 725. Praeterea haec formula exstat *Cas.* 270: *Tum igitur ego sortis utrimque insignis faciam :: Ecquis uotat? Optumum atque aequissumum istud*

*) ‚*ab illo cupit*' Bothius. BDc ‚*ab illo incipit*'. C ‚*abllocipit*'.
**) ‚*Atque*' eici iussit Fleckeisenus in Iahnii annal. uol. LXI [1851] p. 18.

esse iure iudico. *Men.* 1146. *rud.* 1029. — Haec leguntur in trochaicis septenariis: in trimetris iambicis formula est ‚*bonum aequomque oras*' [*most.* 632. *Pers.* 399. *rud.* 184].

Verba ‚*ex mea sententia*' saepe per ‚*atque*' adiuncta exstant. *Men.* 278: *Bene obsonaui atque ex mea sententia.* — 1019: *Nimis bene ora conmetaui atque ex mea sententia.* *truc.* 952: *Lepide ecastor aucupaui atque ex mea sententia.* *glor.* 947: *Volup est quod agas si id procedit lepide* [*atque ex*] *sententia:* uerba ‚*atque ex*' Ritschelio debentur. *Pseud.* 762: *Aue sinistra liquido auspicio atque ex* [*mea*] *sententia*: ‚*mea*' Bothii est. — Hactenus de ui copulatiua particulae ‚*atque*'.

§. 11. Superest ut de usu comparatiuo particulae disseram *).

Primum in censum uocabo locos in quibus res similes comparantur. Legitur *Bacch.* 214: *Etiam Epidicum, quam ego fabulam aeque ac me ipsum amo, Nullam aeque inuitus specto, si agit Pollio.* *merc.* 760: *Nempe uxor rurist tua, quam dudum dixeras Odisse te aeque atque angues.* *Stich.* 271: *Satin ut facete* [*aeque*] *atque ex pictura astitit?* ‚*Aeque*' Ritschelius Fleckeiseno auctore [quem uide in philol. uol. II p. 90] inseruit. *trin.* 493: *Aequo mendicus atque ille opulentissumus Censetur censu ad Acheruntem mortuos.* *glor.* 1251: *Si amauit umquam aut si parem hic sapientiam habet ac formam.* *Men.* 752: *Ecastor pariter hoc Atque alias res soles.* *most.* 220: *Eundem animum oportet nunc mihi esse, gratum ut impetraui, Atque olim, priusquam id extudi, quom illi subblandiebar.* *Stich.* 462: *Nam ut illa uitam repperit hodie sibi, Item me spero facturum, augurium ac facit.* Semel ‚*atque*' sequitur particulam ‚*tam*': *Amph.* 443: *Tam consimilist atque ego.* Errat autem Holzius

*) Huius usus originem nuper subtilissime explorauit Schoemannus in indice scholarum Gryphiswald. uere a. h. s. LXV edit. Vide eiusdem librum de partibus orat. pag. 229 seq.

[in syntaxeós priscorum auctorum latinorum usque ad Plautum et Terentium uol. I pag. 228], si huc referendum censet *Bacch.* 779: *ni meum Gnatum tam amem atque ei facta cupiam quae is uelit.* Namque hoc loco ‚*atque*' duas sententias coniungit, quarum altera ex priore consequitur. Dissimilitudinis notiones addita negatione contrariam significationem induunt *Pseud.* 473: *atque [haut] alio modo Me uerberare atque ego te soleo cogitas.* ‚*haut*' Ritschelius inseruit. *Amph.* 274: *Neque se luna quoquam mutat atque uti exortast semel.* Idem uerbum legitur in interrogatione negatiua *glor.* 1130: *Numquid uidetur demutare atque ut quidem Dixi esse uobis dudum hunc moechum militem?* ‚*atque ut quidem*' Bothius scripsit pro ‚*aut utique*'.

§. 12. Dissimilia comparantur *asin.* 204: *Aliam nunc mi orationem despoliato praedicas, Aliam atque olim quom inliciebas me ad te blande ac benedice.* *Pseud.* 1133: *alio sunt illi ingenio atque tu.* *truc.* 174: *Ego fateor, sed longe aliter est amicus atque amator.* *Epid.* 393: *Diuortunt mores uirgini longe ac lupae.* Saepius ‚*atque*' posuit poeta post notiones similitudinis cum negatione coniunctas. *aul.* 295: *pumex non aequest aridus atque hic est senex.* *capt.* 999: *uerum enimuero nulla adaequest Acheruns Atque ubi ego fui in lapicidinis.* *Cas.* 38: *numquam edepol ieiunium ieiunumst aeque atque ego te ruri reddibo.* — 705: *Nebula haud est mollis aeque atque huius corpus est.* *glor.* 668: *Tum ad saltandum non cinaedus malacus aequest atque ego.* *Bacch.* 454: *Haut consimili ingenio atque illest qui in lupanari accubat.* Etiam post comparatiuos ‚*atque*' positum est a comico. *Cas.* 716: *Nec fallaciam astutiorem ullus fecit Poeta atque ut haec est fabre facta a nobis.* *merc.* 897: *amicior mihi nullus uiuit atque is est Qui illam habet.* — Interdum notio quae alteram rem parem aut imparem esse alteri indicat deest et colligi debet ex aliis uerbis. *glor.* 763: *Haut centensumam Partem dixi atque, otium rei si sit, possum expromere.* Sensus subest: *Multo minus dixi quam possum dicere.* [In eadem

formula ‚*quam*' legitur *capt.* 421: *Pol istic me haut centensumam Partem laudat, quam ipse meritust ut laudetur laudibus.*] *Bacch* 549: *Sicut est hic quem esse amicum ratus sum atque ipsus sum mihi.* Fraudi fuit Handio [l. l. I pag. 471] eiusdem fabulae uersus 725: *Nimis [hic] bellus atque ut esse maxume optabam locust.* Hic non comparandi, sed copulandi munere ‚*atque*' fungitur.

Semel in fabulis plautinis legitur ‚*semulac*': *asin.* 479: *Demaenetum semulac conspexero hodie.* — Pro ‚*proinde ut*' quae iunctura persaepe reperitur apud comicum semel exstat ‚*proinde ac*': *Amph.* 583: *At ego faciam te hodie, proinde ac meritu's, ut ualeas minus.* In Fleckeiseni editione scriptum est ‚*proinde ut*'.

Conspectus.


COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010686576